Parentus!

Jucundus!

[illegible]



[illegible] Laurentius

[illegible]

# MANUALE THEOLOGIÆ DOGMATICÆ,

Sive ad tritissimam in
FIDEI CONTROVERSIIS.
INTERROGATIONEM:
*UBI SCRIPTUM EST.*
Catholicorum vera,
Acatholicorum falsa
RESPONSIO,
A quodam Societ: JESU Theologo
COLLECTA:
*Addita in hac ultima Editione*
Controversia Præliminari
De
INDIFFERENTIA
RELIGIONIS

*REIMPRESSUM*
SANDOMIRIÆ in Coll: Soc: JESU.
Annô Domini 1753.

# AD LECTOREM.

Scopus libelli nequaquam eſt, Acatholicis huius temporis, bellum indicere; ſed ipſorum conatus, quibus nonnunquam Catholicis incautioribus imponunt, exhibere, & infringere.

Quid enim frequentiùs illi ad ſingula ſua dogmata, & jactantiùs clamant quám *Scripturam?* quid moleſtiûs á nobis exigunt, quàm eandem *Scripturam?* quando ad ſingula, noſtræ Fidei dogmata, nil ſæpiùs quærunt, quàm: UBI SCRIPTUM EST?

Quòd autem ad Scripturam jactantiùs, quàm veriùs provocent, eventus hucusque docuit; dum Scripturam inutili planè opera, quia à quæſtione propoſita ſæpiſſimè alienam, coacervant. Quan quam ſic fieri neceſſe eſt, ubi non

Fides ex Divino Verbo adduci-
tur, sed Verbum Divinum ad Fi-
dem pro arbitrio fictam accommo-
datur. Contrà verò iniquè pror-
sus à nobis Scripturam exigunt,
quando, & probandi partes actori,
non possessori incumbunt, & Fidei
rationi penitùs adversatur, velle
è Scripturis omnia probari, quæ si-
ne discrimine, omnia ab Ecclesia le-
gitimè proposita (scripta sint, ver-
bîsque disertîs expressa, vel secùs)
Fides credere est parata.

Ut tamen pateat solidiùs, nostræ
Fidei dogmata Divinis Scripturis
niti, eásque veriùs à nobis allegari
posse, libellus hic communiores
de Fide quæstiones, quæ contro-
vertuntur, hac ratione exhibebit.

Primò Catholicā doctrinam pro-
ponet, quam ipsis Scripturæ ver-
bîs juxta SS. Patrum, & Ecclesiæ
sensum comprobabit. Se-

Secundò doctrinam Acatholicam ſubjiciet, ſuis Scripturis vallatam; ſed ſimul oſtendet, quàm illas vel violenter cogant, vel minùs ſincerè allegent Acatholici, dum contrà, quám Eccleſia, & Patres cum Conciliis per tot ſecula jam acceperint, & explicârint, adducunt.

Tertiò Corollarium apponet, quo perpenſis pro utraque doctrina Scripturis, Lectori relinquat judicandum, quæ doctrina (Catholica an Acatholica) veriùs, Verbo Divino innitatur.

Verùm ut ſolidiùs pro alterutra parte decerni poſſit, velim ſingulas Scripturæ ſententias ſincerus, & veri ſtudioſus Lector, ſecundùm has quæſtiones perpendat.

I. Cui potiùs, Sanctorùmne Patrum, an unius alteriùſque Sectarii explicationi, recta ratio ſuadeat innitendum?

 II.

II. Quis Scripturæ sensus, ad rectæ rationis calculum verior censendus sit: quem tot jam seculis, constanter & inconcussè, Ecclesia Catholica tenuit; aut, quem seculo nondũ altero tenet Acatholicorũ secta?

III. Quorum prudentiùs, & securiùs vestigia quis legat: Conciliorumne, quibus tot Episcopi, Doctoresque accuratis discussionibûs, & maturis judiciis, imò & Apostolica Sedes, robur addidit; an verò Novatorum, toties, unius seculi spatio, non inter se tantùm, sed & à se diffidentium Porro cùm alia mens nulla sit, quàm Lectori ostendere, quàm vanè Acatholici Scripturam & jactent, & tractent, alia argumenta, quibus vel illi Fidei nostræ dogmata oppugnant, vel sua propugnant, vel suam Catholici doctrinam explicant, & stabiliunt producere studiosè est cautum His igitur præmonitus, & præmunitus amice Lector, hoc fruere libello, & vale,

§* §* §* §

§* §* §

*CON-*

# CONTROVERSIA PRÆLIMINARIS De UNITATE RELIGIONIS Ad ſalutem neceſſaria.

## CATHOLICA DOCTRINA.

I

QUicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat CATHOLICAM FIDEM, quam niſi quiſque INTEGRAM, INVIOLATAMQUE ſervaverit, abſque dubio in æternu peribit. Hinc pernicioſiſſimus error eſt *Adiaphoria*, ſive *Indifferentiſmus* in Religione, aſſerens quemcunque in ſua fide ſalvari poſſe; modò honeſtè vi

vat, *Sed quærunt Acatholici:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞ I. Heb. 11. 6. *Sine fide impossibile est placere DEO.* Quòd autem Fides Una esse debeat, ostendit idem Apostolus Ephes. 4. 5. *UNUS Dominus, UNA Fides, UNUM Baptisma;* Præterea 1. Cor. 10. 17. *Quoniam UNUS pánis, & UNUM corpus multi sumus.* Hinc Ecclesia diçitur Jo. 10. 16. *UNUM Ovile.* Ephes. 5. 25. UNUM Matrimonium in quo Christus est Sponsus Dan. 2. 44. *UNUM Regnum,* quod utique ex Marc. 3. 24. Luc. 11. 17. *Si in se dividatur, non potest stare; & desolabitur.* Denique Jo. 17. 11. sic Christus oravit Patrem: *Pater sancte serva eos in Nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint UNUM, sicut & nos.*

Nec

Nec dubium est, quòd *exauditus est pro sua reverentia*, ùt dicitur Heb. 5. 7. Ergo ex his omnibus apertè colligitur, quòd UNITAS Religionis, & Fidei, sit necessaria.

II. 2. Pet. 2. 1. *In vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.* Et Matt. 24. 11. *Multi Pseudo Prophetæ surgent, & seducent multos* 1. Timo. 1. 19. *Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt;* Ecce Sēductores, ecce perditionem, ecce naufragium extra Catholicam fidem: ergo extra illam non est salus.

III. Matt. 7. 14. *Quàm arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam!* Hæc autem falsa essent, si in sua quisque secta salvari posset. Hinc optimè

de

de Donatistis Augustinus in * Psal. 54. In multis sunt mecum, in paucis non mecum, sed in his paucis in quibus non sunt mecum, non prosunt illis multa: ergo juxta illud Jo. 16. 13. rogandus *Spiritus Veritatis*, ut doceat nos *OMNEM Veritatem.*

## *ACATHOLICA DOCTRINA.*

CHristiana Fides I. ad æternam salutem non est necessaria: II. si est necessaria, sufficit: si in ea credatur Trinitas, & Christus: *Sed* UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Matt. 11. *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente] venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in Regno cælorum.* Ergo à quacumque secta veniant, salvabuntur. De facto Cornelius Centurio Act. 10.

2.

2. etiam adhuc Gentilis, vocatur *Religiosus. ac timens DEum.* CONTRA. *Venient Gentiles, & recumbent in Regno cælorum:* Sed priùs ad Fidem, Baptiſmum, Chriſtique Eccleſiam converſi. Sicuti Cornelius Centurio, admiſſa priùs divina inſpiratione, Fidem concepit aliquam ſupernaturalem de Exiſtentia, & Providentia DEI, paratumque animum habuit ad reliqua, ùt conſtat ex operibus, quæ illi nomen fecêre *Religioſi, ac timentis DEUM;* ad huc tamen juſſus eſt Petrum accerſere, ut ab illo explicitam, & diſtinctam Fidem Myſteriorum doceretur. Sic tradunt Auguſtinus de Prædeſtinatione Sanctorum c. 10. Hieronymus in c. 3. ad Galát. Gregorius Homil. 19 in Ezech. & alii PP.

II. 1. Timot. 2. 4. DEUS *omnes homines vult salvos fieri*, si omnes? ergo etiam infideles; hinc est, quod dicitur de Christo 1. Timot. 4. 10. *Qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium*. Ergo etiam infidelium, Paganorum, Turcarum; alioquin DEus non esset ille, cujus *Misericordiæ non est numerus*, si tot Gentiles, Turcas &c. honestè viventes, damnaret. CONTRA. I. Omnes enim Paganos aliosque infideles, DEus vult salvos seriò, ac sincerè, quantùm est ex se, illìsque media, saltem remota, ad salutem necessaria subministrat: non vult tamen omnes fieri salvos voluntate absoluta, sed ex hypothesi, si & ipsi salvari velint, & præstent ea, ad quæ per inspirationes excitantur; Fidem, ac Bapti-

ptiſmum ſuſcipiendo, mandata obſervando, &c ita ut velit *ad cognitionem veritatis venire*, ùt additur in textu ab Adverſariis allato. Ità Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, & communiter SS. PP. apud Cornel: à Lap: hìc. II. Chriſtus dicitur Salvator etiam infidelium, quantùm ſcilicet ex ſe, & ex parte ſua, ùt jam dictum eſt. III. DEUS eſt quidem *Miſericors;* ſed eſt etiam *Juſtus*, id eſt, qui pro ſalute conſequenda certas *justè* leges poſuit, ſecundùm quas procedit. Unde, qui ab iis recedunt, juſtè damnantur.

Ex ſupradictis explicanda, quæcunquæ alia ex Scripturis afferantur ad hoc idem probandum, ùt Iſaiæ 53. 6. *Poſuit Dominus in eo*, id eſt Christo, *iniquitatem omnium*

*nostrûm.* Rom. 8. 32. *Pro nobis omnibus tradidit illum, &c.* Hactenus de prima erroris parte. Quò ad secundam verò.

IV. Marci 16. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo sufficit Fides Trinitatis, in cujus Nomine confertur Baptismus: similiter Jo. 3. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Jo. 17. 3. *Hæc est vita æterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti JESUM Christum.* 1. Cor. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ergo sufficit fides in Christum. CONTRA, I. Salvus erit, qui crediderit verè, & practicè; ità ut nihil recuset, aut omittat eorum, quæ vi talis fidei credi, & fieri ad salutem (juxta

Eccle-

Ecclesiæ explicationem) oporteat: & in hoc sensu explicandi textus, qui loquuntur de fide in Christum, id est, ut esse debeat vera, & practica, ùt apud Cornel. à Lap. hìc. II. Non ponitur *aliud fundamentum*, quàm *Christus*, si & Ipse, & ejus Doctrina in cordibus fidelium ritè concipiatur; juxta quam debet aliorum dogmatum (post sufficientem promulgationem) haberi fides: mandata observanda, &c. Ergo &c.

V. Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso*, dictum est Latroni, solam fidem in Christum habenti. Act. 8. 38. Baptizatur Eunuchus Candacis à Philippo post doctrinam traditam de solo Christo. 1. Cor. 1. 2. Paulus Corinthios vocat Sanctos, quamvìs inter eosdem schismata essent, ùt ex eodem cap

V. 10. CONTRA. I. Latro ex SS. Cypriano, & Augustino, dicitur Martyr, & Baptismô Sanguinis ablutus, ob liberam Christi confessionem, mortisque pro ea tolerantiã, saltèm ex animi præparatione, ex qua etiam crediturus erat, quidquid Ecclesia Christi fuisset, tanquam de fide, propositura, si diutiùs ille vixisset. II. Philippus Eunuchum instruxit pro tempore, statu, & capacitate ejusdem, DEO per internam extraordinariam illuminationem peculiariter cooperante; nec dubium est, ea õnia Philippum Eunucho evangelizâsse, quæ credenda erant, & Eunuchũ ea credidisse, ut dignè susciperet Baptismum; licèt præcipuum tantùm articulum de Christi Divinitate eô locô nominet D. Lucas,

sub

ſub eo, cæteros intelligens, quia is unus toti orbi erat novus, & penè incredibilis, ac recenter peractus, quem propterea ubiq; præcæteris prædicabant, & inculcabant Apoſtoli. Similiter non eſt dubium (licèt nulla de hoc mentio fiat) Philippum exegiſſe, & Eunuchum exhibuiſſe ſigna doloris de peccatis admiſſis: hic enim dolor requiritur ante Baptiſmum, ut quis ſit capax remiſſionis eorundem, & juſtificationiſ. Ità S. Auguſt: lib: de fide, & operibus cap. 8. & 9. apud Cornel. à Lap. hìc. III. Inter Corinthios non fuit ſchiſma cum pertinacia, qui enim errabant, erant dociles, & veritatis intelligendæ cupidi, nec unquam re ipſa ſe à ſe invicem ſepararunt; imò iis non fuit gravis, ſed tantùm de præſtā-

tia

tia majori Prædicatorum, qui Evãgelium annuntiavêre, ùt patet ibid. v. 12.

*Corollarium.*

*Ergò ſcriptum eſt:* UNAM, & INTEGRAM Fidem Catholicam eſſe neceſſariam ad ſalutem; *non autem ſcriptum eſt:* quamcunque ſufficere.

---

## *CONTROVERSIA I.*
## De
## TRADITIONIBUS.

*Catholica Doctrina.*

NOn omnia, quæ credenda ſunt, in ſacra Scriptura ſunt ſcripta; ſed multa habemus per Traditiones, quarum aliæ ſunt Divinæ, quas Chriſtus Apoſtolis; aliæ Apoſtolicæ, quas Apoſtoli Diſcipulis ſuis, & hi nobis vel viva voce, vel ſcriptò communicârunt. *Sed Acatholici quærunt:* UBI

## UBI SCRIPTUM EST.

℟. I. Jo. 16. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et verè docuit Petrum (ut de Sacramentorum forma, & materia, de ordinatione Miniſtrorum Eccleſiæ, & aliis taceã) Actor. 15. 10. non eſſe gentibus adChriſtum converſis, Circumciſionis jugum imponendum. Hæc tamen nullibi aliàs vel à Chriſto dicta, vel in ſacris Literis ſcripta reperiuntur.

II. 1. Cor. 11. 2. *Laudo vos, quòd per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Hæc Apoſtoli præcepta, nullibi in ſacris Literis leguntur.

III. 1. Cor. 11. 34. *Cætera, cùm*

*venero*

*venero, disponam.* Quin multa disposuerit, dubium non est: quæ verò ea sint, nusquam in Scriptura reperitur.

IV. 2. ad Thess. 2. 14. *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Tradiderat autem quædam de Antichristo, utì hoc ipso cap. insinuat, quæ nullibi scripta reperies.

Hos textus accipit S. Chrys. in hunc locum de Traditionibus, inquiens: *Hinc patet, quòd non omnia per Epistolam tradiderit, sed multa etiam sine literis: eadem verò fide digna sunt, tàm illa, quàm ista.* Huic consonat Theophyl. hic. Basil. l. de Spiritu S. c. 19. Damas. l. 4. de Fide cap. 17. Vide Bell. tom. 1. Con. 1. l. 4. c. 4. & 5.

*Acatho-*

*Acatholica Doctrina*

NIhil credendum eſt, nisì quod in ſacris Scripturis continetur, ac proinde omnes Traditiones rejiciendæ. *Sed quærunt Catholici:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Deut. 4. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Et c. 12. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* CONTRA I. Non agit hìc Moyſes de Verbo DEI ſcripto, ſed viva voce tradito: ſed *quæ præcipio.* II. Monet populum Judaicum, nè præceptis Divinis vel quidquam contrarium addere, vel ea falsa interpretatione depravare præſumant: nam ipſe Moyſes, alia ad hæc ſcripta, non tamen contraria, addidit Deut. 17. 10. Ubi ſub mortis pœ-

pæna jubet, Sacerdotis, & Pontificis decreto obediant.

II. Ad Gal. 1. 8. *Sed licèt nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* CONTRA I. Hic locus tam est pro Traditionibus, quàm pro Scriptura, quia ait: *evangelizavimus*, hoc est, prædicavimus, sive scriptò, sive viva voce. II. Vox *præterquam*, in qua Acatholici vim ponunt, significat *contra*: nam *parà* ex Græco significat & *prætèr*, & *contra*, Sic exponunt Ambros. hîc August. I. 17. contra Faustum c. 3. Hieron. & Chrys. explicant per *aliter*. Unde hic sensus est: non solùm non audiendos, sed rejiciendos esse, qui contraria suæ doctrinæ, sive viva voce traditæ, docuerint;

erint; sed etiam qui quomodocunque eam, aliter interpretando labefactare præsumpserint. Et nunquid Evang. S. Joannis, & Apocalypsis, post hanc S. Pauli Epist. scripta sunt? & in his nunquid sunt scripta, quæ in hac Pauli Epistola non erant scripta? Vide Bell. loc. cit. c. 10.

III. Apoc. 22. 18 *Si quis apposuerit ad hæc, apponet DEus super illum plagas scriptas in libro isto.* CONTRA: S. Joannes minatur iis, qui Apocalypsim, & sacram Scripturam aliquid addendo, vel auferendo adulterant, quod Traditiones non faciunt, sed potius explicant, Nec prohibet alios libros de præceptis divinis scribi, nam & ipse juxta Kemnitium in Exam. pag. 202. post Apoc.

scri-

ſcripſit Evangelium. Vide Cornel. àLap. hîc.

IV. Matth. 15. 9. *Sinè cauſa colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum.* Et v. 6. *irritum feciſtis mandatum DEI, propter traditionem veſtram.* Hîc expreſſè Traditiones prohibentur. CONTRA: Chriſtus loquitur de Traditionibus, quas Scribæ & Phariſæi, DEI præceptis contrarias ponebant; non verò de Divinis, vel Apoſtolicis, Legi DEI conformibus, de quibus controvertitur.

V. Ad Coloſſ. 2. 8. *Videte, nè quis vos decipiat per Philoſophiám, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum.* CONTRA. Apoſtolus ſicut loquitur de Philoſophia, quæ Gentilium ſuperſtitionibus nititur; ità loquitur de

eo-

eorundem traditionibus, quæ legem Divinam vel directè oppugnant, vel saltèm depravant, non de Traditionibus, de quibus nos agimus. Vide in his locis Cornel. à Lap. Bellarum. l. cit.

*Corollarium*

Ex his colligere est, *scriptum esse*, non omnia, quæ credenda sunt, esse scripta; è contrà: *non scriptum esse*, nihil esse credendum, nisi quod scriptum est.

## *CONTROVERSIA II.*

## De VERBI DEI INTERPRETATIONE.

*CATHOLICA DOCTRINA.*

Scriptura sacra multis locis satìs est obscura, & perquam difficilis, ut revera interpretatione egeat. *Acatholici quærunt:* UBI

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Luc. 24. 27. *Interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Et v. 45. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Si verò omnibus, & singulis tam aperta est, & facilis, cur discipulis, Christus debuit interpretari, & sensum earum aperire?

II. Act. 8. 30. & 31. Eunuchus Candacis Reginæ, Isaiam legens à Philippo interrogatus: *Putas intelligis, quæ legis?* respondit: *Et quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi?* De hoc textu scribit Hieron. Ep. 103. *Venit Philippus, ostendit ei JEsum, qui clausus latebat in litera, &c. ut intelligeres, te in Scripturis sanctis sine prævio, & monstrante semitam non posse ingredi.*

III.

III. 2. Petr. 3. 16. *In omnibus Epiſtolis Paulus loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant.* Hoc textu adeò clarè ſcriptum eſt, Scripturam ſacrã in multis eſſe obſcurã, ut nemo SS. PP. aliter exponat. Vide Bell. To. 1. Cont. 1. l. 3. c. 1.

*Acatholica Doctrina.*

SCriptura ſacra ipſa per ſe eſt certiſſima, apertiſſima, ſui ipſius Interpres, intellectu facillima, ut nullius egeat explicatione. *Sed Catholici quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Deut. 30. 11. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, neque trans mare, &c.*

CONTRA. I. Hoc loco agitur de facilitate implendi mandata Decalogi, ut patet ex contextu; ſic ait Tertull. l. 4. Contra Marcion. Origenes Amb. Chryſ. & alii in c. 10. ad Rom. & Auguſt. l. de Perſ. Juſt. II. Abulenſis ait: agi de facilitate cognoſcendi præcepta Decalogi: non verò Scripturam ſacram intelligendi.

II. Pſ. 18. 9. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Et Pſ. 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Proverb. 6. 23. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux.* CONTRA I. Hîs locîs agitur de præceptis Decalogi, quæ facilia ſũt intellectu, & intellecta hominem dirigunt in operando. II. Verbum DEI revelatum, ubi fuerit intellectum, illuſtrat mentem. Vide

de Bell. Tom. 1. Cont. 1. l. 3. c. 2.

III. Matth. c. 5. v. 14. *Vos estis lux mundi.* CONTRA. Lux boni exempli, & bonæ doctrinæ hoc loco intelligitur à S. Chrysost. homo. 10. in Ep. 1. ad Timot. in morali. Ideo subjungit Christus: *Sic luceat lux vestra, ut videant opera bona.*

IV. 2. Petr. 1. 19. *Habemus firmiorē propheticum sermonē, cui benefacitis attendentes tanquā lucernæ lucenti in caliginoso loco.* CONTRA. Prophetarū voces vocantur, lūcerna, non quòd facilè intelligātur, sed quòd intellectæ illuminent. Vide Bell loc. cit.

V. 2. Cor. 4. 3. *Quodsi opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, opertum est, in quibus DEUS hujus sæculi excæcavit oculos infidelium.* Si, juxta Apostolum,

infidelibus Evangelium est opertum. Ergo fidelibus est apertum. CONTRA. Per Evangelium non intelligit Apostolus Scripturam, sed mysteria Evangelii, uti sunt, Christi Nativitas, Passio, &c. Vide Corn. à Lap. hoc loco.

*Corollarium.*

EX his patet, *scriptum esse*, Scripturas esse intellectu difficiles; sed *non scriptum esse*, eas esse facillimas intellectu.

---

## *CONTROVERSIA III.*

## De

## INFALLIBILI SCRIPTURARUM INTERPRETE.

*Catholica Doctrina.*

INfallibilis Sacræ Scripturæ Interpres quoad sensum literalem,

lem, est Spiritus, qui in Ecclesia, & Pontifice, ùt Ecclesiæ Capite, invenitur, non quem quivis privatus sibi fingit. Conc. Trid. Sess. 4. *Sed quærunt Acatholici.*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Eccl. 45. 21. *Dedit illi,* Aaroni summo Sacerdoti, *in præceptis suis potestatem, in testamentis judiciorum, docere Jacob testimonia, & in lege sua lucem dare Israël.* Quid clarius.

II. Act. 15. 5. & seq. Quæstionem, an Gentiles ad Christum conversos obligaret lex Moysis, S. Petrus cum Concilio Apostolorum Jerosolymæ, habito, decidit, scribens: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, &c.* Hinc Theod. Ep. ad Leonem P. ait: *Si Pau-*

*lus tuba S. Spiritûs ad Petrum concurrit, ut ab ipso afferret solutionem, multò magis nos pusilli ad Apostolicam Vestram Sedem currimus.*

III. Ad Gal. 2. 1. *Ascendi Jerosolymam cum Barnaba, & Tito, &c. & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus; seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, nè fortè in vacuum currerem: aut cucurrissem.* Contulit verò ideò cum Petro, & Apostolis, ut Adversariis doctrinam ejus improbantibus, posset dicere: sic visum est Spiritui Sancto, & Concilio Jerosolymitano. Ità Hier. Ep. 89. ad Aug. inter Ep. Aug. 11. Tertull. l. 4. contra Marcion. & Aug. lib. 28. contra

tra Faustum c. 4. Vide Corn. à Lap. hìc.

*Acatholica Doctrina.*

SPiritus, qui infallibilis Scripturæ est interpres, non est alligatus Ecclesiæ, aut summo Pontifici, aut Concilio Episcoporum: sed apud quemvis privatum, si is donum habeat interpretationis, reperitur. *Sed quærunt Cathol:*

UBI SCRIPTUM EST.

℟. I. Is. 54. 13. *Dabo universos filios tuos doctos à Domino.* CONTRA. Loquitur de gratia Spiritûs Sancti, quâ homo interiùs à DEO movetur, & suaviter impellitur ad credendum, & amandum, utì exponit S. Aug. lib. de gratia Christi c. 12. 13. & 14. (vel ait) non jam per Pro-

phetas, ſed per Chriſtum Filium meum docebo. Sic explicat D. Cyrill. juxta illud Hebr. 1. 1. *Noviſſimè locutus eſt nobis in Filio.*

II. Jer. 31. 33. & 34. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, &c. & non docebit ultrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, &c. omnes enim cognoſcent me à minimo uſque ad maximum eorum.* CONTRA. *Per legem meam* intelligit S Aug. l. de Spir. & litt. c. 21. & 24. Gratiam novi Teſtamenti, hoc eſt, Fidem per charitatem operantem, quâ non ſolùm ſciamus, ſed & impleamus mandata DEI.

III. Matth: 23. 8. *Nolite vocari Rabbi, unus eſt enim Magi-*

*ſter*

*ſter veſter*, Chriſtus. CONTRA. Non prohibet Chriſtus habere in Eccleſia Magiſtros, qui Scripturas explicent; ſed ambitionem illius nominis vetat. Nonne & Paulus 2. Tim. 1. 11. ſe vocat *Magiſtrum Gentium*?

IV. Joan. 5. 34. *Ego non ab homine teſtimonium accipio.* Ergo nec Scripturæ egent Pontificis, & Concilii teſtimoniô. CONTRA. Chriſtus ait ſui causâ non egere ſe hominum teſtimoniô; non tamen negat ſe noſtri causâ indigere: imò ait Joan. 1. 7. *Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine* (vel) de me. Et Joan. 15. 27. *Vos teſtimonium perhibitis de me, quia ab initio mecum eſtis.* Et Act. 1. 8. *Eritis mihi te-*

*hi testes in Jerusalem, & in omni Judæa.*

V. Joan. 7. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, qui misit me, cognoscet de doctrina, utrùm ex DEO sit.* Ergo non opus est Ecclesiam adire. CONTRA. Hìc ostendit vitiosos habitus superbiæ, &c. impedire, quò minùs veros Scripturarum interpretes audiant, & intelligant.

VI. Joan. 10. 27 *Oves meæ vocem meam audiunt.* CONTRA. Non excludit alios, per quos ad oves suas loquatur, nam dicit Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit:* Sed excludit hostes, & fures. Deinde loquitur de vocatione ad suum ovile: ùt ait hìc S. Aug.

VII. Act. 17. 11. Berœani *susceperunt verbum cum omni aviditate quotidie scrutantes Scripturas: si hæc ità se haberent*, quæ Paulus prædicabat; atqui hi non erant Concilium, sed Laici, & privati homines. CONTRA. I. Illis nondum constabat Apostolum non posse errare: Christianis verò constat Ecclesiam non posse errare. II. Non illicitum est privatim Scripturas scrutari veritatis causâ: non tamen est licitum eas scrutari depravandi, & calumniandi causâ. Vid. Cornel. à Lap. hìc.

VIII. 1. Cor. 12. 11. *Hæc omnia operatur unus, & idem Spiritus dividens singulis prout vult.* CONTRA. I. Apostolus non di-

cit

cit: omnibus dari donum interpretandi, ſed aliquibus, quod Catholici non negant. II. Apoſtolus hic non negat ſummum Paſtorem, & Concilium habere Spiritum, Scripturam interpretandi.

IX. 1. Joan. 2. 27. *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos; ſed unctio ejus docet vos de omnibus.* CONTRA. S. Joannes non dicit nullum eos, de cognitione rerum fidei debere admittere Doctorem; ſed monet circa ea, quæ jam didicerunt, non debere eos audire alios, contraria docentes; cur alioquin S. Joannes hanc Epiſtolam ſcriberet, in qua multa eos docet? Vide Bell. Tom. 1. Cont. 1. l. 3. c. 10.

*Corol-*

*Corollarium.*

HInc videre eſt, *ſcriptum eſſe*, in Eccleſia, & Concilio eſſe veram interpretationem: è contra *non ſcriptum eſſe*, quemvis privatum poſſe Scripturas interpretari.

---

## CONTROVERSIA IV.

## De
# VISIBILI ECCLESIA.

*Catholica Doctrina.*

ECcleſia (quæ eſt cœtus hominum ejusdem Chriſtianæ Fidei profeſſione, & eorundem Sacramentorum communione, ſub legitimorum Paſtorum, & præcipuè unius Chriſti in terris Vicarii ſummi Pontificis regimine colligatus) eſt viſibilis. *De hoc Acatholici quærunt.* UBI

## UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Num. 20. 4. *Cur eduxiſti Eccleſiam Domini in ſolitudinem?* 3. Reg. 8. 14. *Convertitque Rex faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſraël; omnis enim Eccleſia Iſraël ſtabat.* In quibus locis per *Eccleſiam* nihil aliud ſignificatur, quàm populi cœtus, qui eſt viſibilis.

II. Matthæi cap. 16. v. 18. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Petra hæc, quia eam demonſtrat, eſt viſibilis, cur non & Eccleſia ei ſuperædificata? Matt. 18. 17. *Dic Eccleſiæ.* S. Hier. & Ans. hìc, & S. Greg. l. 4. Ep. 38. intelligunt cœtum fidelium: quomodo autem dicet Eccleſiæ, vel cœtui fidelium, ſi non eſt viſibilis?

lis? Act. 20. 28. *Vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI.* Act. 15. 3. *Illi deducti ab Ecclesia,* &c. v. 4. *suscepti sunt ab Ecclesia.* Act. 18. 22. *Salutavit Ecclesiam.* 1. Cor. 15. 9. *Persecutus sum Ecclesiam.* Quomodo hæc conveniunt, si Ecclesia non sit visibilis?

III. Matth. 5. 14. *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Hunc locum explicat S. Aug. l. de Unit. Eccles. c. 14. & alibi passim de Ecclesia. Si autem non potest abscondi: ergo erit visibilis. Idem probant aliæ parabolæ Evangelicæ de ovili, reti, convivio, &c. quibus intelligitur Ecclesia.

*Acatholica Doctrina.*

Eccle-

Ecclesia in terris vel planè est invisibilis, & soli DEO cognita; vel tantùm nomine est visibilis. *Sed quærunt Catholici.*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Jer. 31. 33. *Dabo legem meam*, Ecclesiam, *in visceribus eorum, & in corde eorum scribam.* CONTRA. Per *legem* non intelligitur Ecclesia, sed Testamentũ novum, vel lex charitatis in cordibus scripta: quæ lex licèt non videatur, videtur tamen Ecclesia, in qua est illa lex; sicut videtur corpus, licèt cor non videatur. Vid. Bellar. Tom. 2. Cont. 1. l. 3. c. 15.

II. Luc. 17. 21. *Non venit Regnum DEI cum observatione: neque dicent: ecce hic, aut ecce illic.*

*Ecce*

*Ecce Regnum DEI intrà vos est.* CONTRA. I. Theophylactus intelligit per Regnum DEI gratiam divinam, quâ DEUS in hominibus regnat, & hæc non est visibilis. II. Beda explicat, hunc locum de Messiæ adventu, quem ait fuisse tam humilem, ut nec fuerit observatus venisse, nec postea more Regum potuerit monstrari.

III. Joan. 4. 2. 3. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate.* Ergo non erit visibilis Ecclesia, in qua adoretur. CONTRA. Non agitur hìc de loco, sed de ritu colendi DEUM tantùm externis cæremoniis, & corporalibus victimis, ùt Judæi

(expo-

(exponente Chryſ. Cyr. & Euth.) nec præter verum DEUM ſimul & falſos Deos colent, ùt Samaritani [explicante Theophyl. D. Thoma, & Cajet.] ſed *in ſpiritu* vel modo ſpirituali, & interno, qui tamen non omnes cæremonias externas excludat, & *in veritate:* vel unum, & verum DEUM colent. Vide hìc Corn. à Lap.

IV. Hebr. 12. 18. *Non acceſſiſtis ad tractabilem montem* Sinai, *& accenſibilem ignem, ſed* (v. 22.) *acceſſiſtis ad Sion montem* Spiritualem, *& civitatem DEI viventis, &c.* CONTRA. Per *montem Sion*, intelligit Theophyl. Oecumenius Eccleſiam Triumphantem in cælis, utì etiam contextus ſequens debere intelligi confirmat.

*Jeru-*

*Jeruſalē cæleſtē, & multorum millium Angelorum frequentiam, &c.* quæ utique nobis nunc inviſibilis eſt.

V. 1. Pet. 2. 5. *Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias DEO.* CONTRA. Spirituale hìc ſumitur, ſicut 1. Cor. 2. 15. *ſpiritualis homo*: & 1. Cor. 15. 44. *Corpus ſpirituale*, pro eo ſcilicet, quod ſecundùm ſpiritum, & non ſecundùm carnem ſit, & prout ſpirituale opponitur animali. Sic ſumit S. Bernard. tr. de vita ſolit. & S. Aug. de fide, & ſymb. c. 6.

*Corollarium.*

Ex his quis non videt, *ſcriptum eſſe*, Eccleſiam eſſe viſibilem *non* verò *eſſe ſcriptum*, Eccleſiam eſſe inviſibilem?

*CON-*

## CONTROVERSIA V.

# De ECCLESIÆ DURATIONE.

### *Catholica Doctrina.*

ECclesia Visibilis, prout dicit Cōgregationē Fideliũ, non potest deficere. *Acatholici quærunt:* UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Mat. 16. 18. *Super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meã, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eã.* Hinc dicit S. Greg. hom. 4. de verbis Isa. *Faciliùs est solem extingui, quâm Ecclesiam obscurari.*

II. 1. Tim. 3. 15. *Ecclesia DEI vivi columna, & firmamentum veritatis est.* Chrys. & Beda ajunt, eam esse firmamentum activum,

&

& passivum, & eam à DEO confirmari, & ab illa rursum confirmari fideles.

III. Matth. 18. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibûs diebûs usq; ad consummationem sæculi.* Cùm Discipuli, quibus Christus ascensurus in cœlo hæc dixerat, non essent victuri usque ad finem sæculi, necessariò hæc verba, ad eorum etiam Successores dicta erũt, ut verum sit, quod Christus promisit. De Duratione Ecclesiæ hunc locum accipit S. Hier. Leo M. in Ep. 31. ad Pulcheriã Aug. & Leo II. in Ep. ad Constantinum Aug.

*Acatholica Doctrina.*

ECclesia, quæ est invisibilis, non potest quidem deficere,

sed

sed quæ est visibilis, potest desicere, & fidem perdere. *Sed quærunt Catholici:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Gen. 3. Quando Adam, & Eva per peccatum à DEO apostatârunt. CONTRA. I. Adam & Eva non fuerunt Ecclesia, sed Adam solùm fuit Ecclesiæ initiũ. II. Licèt Adam defecerit malè vivendo; non tamen defecit malè docendo: hoc autem est Ecclesiam deficere, si malè docet.

II. Exod. 32. 4. Aaron summus Pontifex proposuit vitulum aureum adorandum, & totus populus clamavit: *Hi sunt Dii tui Israël.* Ergo tota hæc Ecclesia cum Capite suo defecit. CONTRA. I. Aaron tunc nondum e-

rat

rat ſummus Pontifex, adeòque non erat Eccleſiæ illius Caput, nam poſtea Exod. 40. 13. unctus eſt in Sacerdotem. Moyſes erat Caput, ſed is non defecit. II. Nec totus populus clamavit; nam omnes Levitæ immunes erant ab hoc peccato, ùt patet v. 26. ubi Moyſes ait: *Si quis eſt Domini. jungatur mihi, congregatiq; ſunt ad eum omnes Filii Levi.*

III. 3. Reg. 19. 10. *dereliquerunt pactum tuum Filii Iſràël, &c. & relictus ſum ego ſolus.* Ergo deficit ibi Eccleſia. CONTRA. I. Populus Iſràël, & Judæorum non erat tunc univerſalis Eccleſia: nã etiam extra ſynagogam erant fideles, ùt Melchiſedech, Job, &c. II. Nec Elias loquitur de toto

Iſràéle, ſed de una parte, quæ ſub Rege Samariæ erat. Hinc Dominus dicit v. 18. *Derelinquã mihi in Iſràél ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal.* Hi certè non erant inviſibiles, & hi non defecerunt.

IV. Iſ. 1. 3. *Iſràél me non cognovit.* v. 6. *A planta pedis usq; ad verticem, non eſt in eo ſanitas.* Jer. 2. 29. *Omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus.* CONTRA. I. Iſràél non erat tota Eccleſiæ, ùt jam ſuprà dictum. II. Juxta S. Aug. l. de Unit. Eccleſ. c. 12. & l. contra Donatiſtas poſt collat. c. 20. Prophetæ ſæpè per ſynecdochen accipiunt totum populum pro parte.

V. 2. Paral. 15. 3. *Tranſibunt dies multi in Iſràël, & abſq; DEO vero, & abſq; Sacerdote Doctore, & abſq; lege.* CONTRA. I. Loquitur de Iſràéle tantùm, & non de Juda, ergo non de tota Eccleſia. II. Videtur loqui de tempore poſt Meſſiæ adventum, quo in Judæis hæc vera eſſe videmus.

VI. Dan: 9. 27. *Deficiet hoſtia, & Sacrificium:* Ergo & Eccleſia. CONTRA. Sermo eſt de Eccleſia Judæorum, cui DEUS nunquam promiſit fore, ut nunquam deficiat, ſicut ſuæ Eccleſiæ Chriſtus, Matth. 16. 18. Sic Chryſ. Theophyl: Hier. in c. 24. Matt. Aug. Ep. 80. ad Heſichium, & alii. Vid. Bell. Tom. 2. Cont. 1. l. 3. c. 16.

VII. Luc. 18. 8. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem*

*in terra?* CONTRA. Non eſt ſermo de fide ſimpliciter, ſed de eximia quapiam fide, quæ in paucis reperitur: ſic exponunt Hier. in Dial. contra Lucifer. & Aug. l. de Unit. Eccl. c. 13.

*Corollarium.*

ERgo *ſcriptum eſt*, Eccleſiam non poſſe in fide deficere: poſſe autē deficere, non *eſt ſcriptum.*

## CONTROVERSIA VI.

### De INFALLIBILITATE ECCLESIÆ.

*Catholica Doctrina.*

ECcleſia [ſive ſumatur pro univerſitate fidelium; ſive pro univerſitate Epiſcoporum], non poteſt errare in iis, quæ credenda proponit, ſive ea expreſsè in

Scri-

Scripturis habeantur, sive non.
*Acatholici quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Joan. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, &* *alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Et Joan. 16. 13. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Juxta quam promissionem tenetur Christus ab Ecclesiâ omnem in fide removere errorem; ùt docet S. Aug. in Enchiridio cap. 3.

II. Matth. 18. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Ex his verbis omnia Concilia dicunt sub anathematis pœna teneri nos in omnibus Ecclesiæ credere: esset autem iniquum, si illa posset errare.

III. 1. Tim. 3.15. *Ecclesia DEI vivi* vocatur *columna, & firmamẽtum veritatis.* Vide Controversiam 5. de hoc loco sup. Neq; sic vocatur, ùt vult Calvinus, quia fideliter custodit Scripturas [ sic enim & officinæ librariæ essent columnæ veritatis] sed quòd Ecclesiæ authoritati innitatur veritas, sicut domus columnæ.

IV. Matth. 23. 3. *Quæcunq; dixerint vobis, servate, & facite.* Et Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit.* His jubemur à Christo audire Episcopos, & Prælatos, prout Ecclesiam repræsentant, & iis obedire: ergo debent non posse errare in his rebus fidei.

*Acatholica Doctrina.*

ECclesia non potest quidem errare, si sumatur pro univer-

sali

ſali, & nihil proponat, nisì quod expreſsè eſt in Scripturis: ſecus, ſi vel ſumatur pro cœtu Epiſcoporum tantùm, qui Eccleſiam repræſentant, vel proponat, quod non expreſsè eſt in Scriptura. *Sed quærunt Catholici.*

UBI SCRIPTUM EST:

℟. I. 3. Reg. 22. 23. *Dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum*, qui erant quadringenti: ergo Eccleſia erravit. CONTRA. Hi erant Pſeudo Prophetæ (ideo quæſierat ibid. 7. Rex Joſaphat: *Non eſt hìc Propheta Domini quiſpiam, ut interrogemus per eum?*) nec aliter pertinebant ad Eccleſiam, quàm prædicantes Hæreticorum.

II. Iſ. 56. 10. *Speculatores ejus cæci omnes, neſcierunt univerſi,*

*videntes vana, &c.* Si Præsules omnes errârunt, ergo & Ecclesia. CONTRA. Propheta loquitur synecdochicè. Vide dicta Contr. 5. Doct. Acath. IV.

III. Tempore Passionis summus Sacerdos cum omnibus Sacerdotibus, & Senioribus populi, & universo populo erravit, cùm illi Mar. 14. 64. condemnârunt *Reum mortis* Christum: hic verò à Sacerdotibus seductus clamavit ad Pilatum Mar. 15. 14. *Crucifige eum*. CONTRA. I. Sacerdotes, & Pontifices synagogæ privilegium non errandi in docendo populum, tantùm habuerunt usque ad Christi tempora. II. Non omnis populus clamavit: nam etiam Jerosolymis erant Nicodemus, Joseph ab Arimathæa,

aliique multi, & multi Judæi erant alibi dispersi, qui non clamârunt.

IV. Omnes Apostoli, qui erāt Episcopi Ecclesiæ, tempore Passionis fidem amiserunt, sicut prædixerat eis Christus Matth. 26. 31. *Omnes vos scandalum patiemini in me.* Quare Mar. 16. 14. *Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* CONTRA. I. Apostoli tempore Passionis erant solùm Episcopi designati, nec nisì materialis Ecclesiæ pars, quæ errare potest; nondum enim acceperant Spiritum S. II. Non est probabile, Apostolos fidem amisisse, quia Luc. 22. 32. ait Christus Petro: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* III. *Scandalum,* significat peccatum fugæ, non ve-

rò apostasiam à fide. IV. In illo Marci tantùm arguit tarditatem in credendo, non fidem amissam. Vide Cornel à Lap. hìc & Bell. t. 2. de Eccl. mil. l.3.c.17.

*Corollarium.*

SEquitur, *scriptum esse*, Ecclesiam in rebus fidei non posse errare: & *non esse scriptum*, eam aut unquam errâsse, aut errare posse.

---

## *CONTROVERSIA VII.*

## De VISIBILI CAPITE ECCLESIÆ.

*Catholica Doctrina.*

ECclesiæ quidem totius Caput est Christus; tamen quia ipse à militante Ecclesia secundùm visibilem præsentiam abest, est &

& aliud Caput visibile, quod locò Christi, visibilem hanc Ecclesiam gubernet. *Acatholici:*

UBI SCRIPTUM EST.

℞. I. Exod. 40. 12. & 13. *Applicabis Aaron, & filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, & lotos aquâ indues sanctis vestibûs, ut ministrent mihi, & unctio eorum in Sacerdotium sempiternum proficiat.* Si teste Paulo 1. Cor. 10. 6. *in figura facta sunt nostri*, quæ in veteri Testamento sunt facta; debebit Ecclesiæ esse visibile aliquod Caput, sicut fuit synagogæ caput visibile sũmus Sacerdos Aaron. Et hoc modo argumentantur Magdeburgẽses Cent. 1. l. 1. c. 7.

II. In variis similitudinibus, quibus Ecclesia comparatur, Cãt. 6. 3. *Castrorum aciei ordinatæ.*

Cant. 7. toto: *Corpori humano.* Jo. 10. 1. *Ovili.* 1. Tim. 3. 15. *Domui.* 1. Petr. 3. 20. *Arcæ Noe.* Quæ ut ſubſiſtant, requirunt Caput viſibile, à quo regantur. Hinc in illud 1. ad Tim. 3. ait S. Amb. *Domus DEI eſt Eccleſia, cujus hodie Rector eſt Damaſus.*

*Acatholica Doctrina.*

NOn eſt in Eccleſia, niſì unum Caput inviſibile, Chriſtus, *Verùm*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Luc. 22. 24. *Facta eſt cõtentio inter* Apoſtolos, *quis eorum videretur eſſe major: Dixit autem eis; Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non ſic, ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor.* Hìc Chriſtus improbavit Zelum inter eos habendi Caput. CONTRA

TRA. Non improbatur Caput, quod regat; sed eorum ambitio, præscribitur regendi modus humilis, & modestus, alienus ab ambitione, & tyrannide. Vide Cornel. à Lap. in Matth. 20. 22. & Bell. Tom. 1. de Ecclesia mil. lib. 1. cap. 9.

II. Ad Ephes. 4. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas*, &c. nec fit mentio unius summi Põtificis. CONTRA I. Ponit ante omnes in Ecclesia Apostolos: & inter Apostolos, (uti Contr. sed videbimus) *uni* commendat gregem. II. Hic non tam Ecclesiæ delineat Hierarhiam, quàm varia dona in Ecclesia, Sic exponunt Chrys. Oecũ. Theophyl.

III. Ad Eph. 4. 7. *Unicuique noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti*, dicit Apoſtolus: non verò *uni* data eſt ſumma poteſtas. CONTRA. Nec nos dicimus Capiti viſibili Ecclesiæ datam eſſe plenitudinem omnis poteſtatis, quam Chriſtus in ſuam Eccleſiam habet; Chriſtus enim regit in æternum, omnē Eccleſiam, quæ eſt in cœlo, purgatorio, & terris: & pro arbitrio ſuo poteſt Leges condere, Sacramenta inſtituere, &c. ſed viſibile Eccleſiæ Caput, tantùm eam Eccleſiæ partem, quæ eſt in terris, regit; & quidem dum vivit: nec poteſt Sacramenta inſtituere. &c. Vide Bell. loc. cit.

IV. Epheſ. 5. 23. *Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ*. Ergo non eſt po-

nen-

nendũ alterũ; alioquin Ecclesia erit biceps. CONTRA. Non ponimus alterum Caput cum Christo, veluti æquale; ſed aliud Caput ſub Chriſto, ùt ejus Vicariũ, & viſibile: ſicut in Regno, abſente Rege, ponitur Pro-Rex, qui utique à nemine dicitur Rex, aut Con-Rex, ſed Pro-Rex.

*Corollarium.*

AN non *ſcriptum eſt*, eſſe aliquod Caput viſibile Eccleſiæ, & *non ſcriptum eſt*, non eſſe viſibile Caput Eccleſiæ?

## *CONTROVERSIA VIII.*

De

# PETRO, VISIBILI ECCLESIÆ CAPITE.

*Catholica Doctrina.*

PEtrus eſt à Chriſto conſtitu-

tus

tus visibile Caput in Ecclesia.
*Acatholici quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Et tibi dabo claves Regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Per *Petram* S. Petrū intelligi tenet I. Totum Calcedonense Concilium 630. Patrū. II. Tota Ecclesia Catholica. III. Aug. Orig. Athanas. Basil. Chrys. Theophyl. Hilar. Hieron. Max. Leo. Greg. aliique. Vide Bell. loc. cit. ad longum. Per *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, cōmitti intelligitur regimen Ecclesiæ à Chrys. Amb.

Greg.

Greg. Hier. aliiſque ibidem. Per *claves* datas, intelligitur ſumma poteſtas in omnem Eccleſiam, ſicut, quando Gubernatori traduntur claves urbis, creditur ſimul tradita poteſtas urbem gubernandi. Sic intelligit S. Greg. l. 4. Ep. 32. & alii. Bell. ibidẽ.

II. Joan. 21. 17. *Paſce oves meas*. Hoc Petro eſſe dictum probat Scripturæ contextus, & agnoſcunt Patres, Cyr. Aug. Chryſ. Amb. Max. Leo, aliique. Per *Paſce* non mandatur ſolùm, ut miniſtret cibum ovibus, ſicut miniſter; ſed provideat, procuret, præſit, & dirigat, ſicut Præpoſitus: ſic accipit Aug. & alii. Per *Oves* intelligitur univerſa Eccleſia ab Epiph. Chryſ. Ambr. Leone, Theophyl. & aliis. Vide Bell. loco c. 14. 15. & 16.

III.

III. Matth. 10. 2. Marc. 3. 16. Luc. 6. 14. Act. 1. 13. ubi omnes Apostoli nominātur, & numerantur: & Matt. 17. 1. Mar. 5. 37. Mnrc: 13. 3. Luc. 8. 51. Lu. c. 22. 8. Joan. 21. 2. Ubi duo, vel plures Apostoli nominantur, semper primo loco ponitur S. Petrus. Et cur? nimirum ut ostendatur, eum esse supra reliquos.

*Acatholica Doctrina.*

ACatholici negant, Petrum esse Caput Ecclesiæ in terris à Christo constitutum. *Sed Catholici quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST;

℟. I. 1. Cor 3 11. *Fundamentum aliud non potest ponere; præter id, quod positum est, quod est Christus JESUS.* Hìc Paulus non a gno-

gnoſcit Petrum pro Capite aut fundamento. CONTRA Chriſtus à Paulo vocatur, ſicut revera eſt fundamentum fundamentorum, (vel) primarium, quod ſe ipſo ſubſiſtit, & ſuſtinet etiam Petrũ, juxta S. Aug. in Pſ. 86. 1. Hoc autem non impedit, quò minùs Petrus ſit fundamentum ſecundarium. Vid. Cornel. à Lap. hìc.

II. Epheſ. 2. 20. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto JEſu.* Ergo non ſolus Petrus eſt hoc fundamentum. CONTRA. Apoſtoli dicuntur fundamenta I. particularium Eccleſiarum, quas primi in variis regionibus fundârunt, ex quibus coaleſcit Eccleſia Univerſalis II. Quia primi doctrinam

à DEO

à DEO revelatam acceperunt, & per orbem terrarum disperserunt. III. Quia cum Petro fuerunt primi Pastores Ecclesiæ Universæ: inter eos tamen Petrus erat Pastor ordinarius, illi extraordinarii, quasi Legati, vel Nuntii ad Regiones, quò Petrus non poterat ipse abire: Petrus autem erat Pastor supremus; ità ut ab eo omnes alii penderent non verò vicissim ipse ab aliis; sic ait Hier. l. 1. contra Jovin.

III. Sicut Petrus, nomine omnium dixit: *Tu es Christus, Filius DEI vivi:* Ità Christus vicissim ei nomine omnium respondit: *Tibi dabo claves, &c.* Ergo ex his verbis non soli Petro primatus est assignandus. CONTRA. S. Chrys. & alii PP. ajunt, cùm alii

Apo-

Apostoli nescirent respondere, Petrum tanquam Caput, & os Apostolorum respondisse, Christũ tamen Petro soli, tanquam Capiti reliquorum, dedisse claves. Vide Bell. hic c. 12.

IV. Matth. 18. 18. dicit Christus omnibus Apostolis: *Quæcunq; alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Joan. 20. 22. *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis: retenta sunt.* Ergo non solus Petrus accepit claves, & potestatem. CONTRA. In loco S. Matth. omnibus quidem Apostolis promittitur clavium potestas, quæ postea Joan. 20. est data, sed (quod adverte)

tan-

tanquam Legatis, & Paſtoribus extraordinariis dependenter à Petro, cui poteſtas data eſt, ùt Paſtori Ordinario, & Capiti independenter ab aliis; unde ſoli Petro dicitur: *Paſce Oves meas.* Vide Bell. loc. cit.

V. Ad Gal. 2. 5. *Quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectione, &c.* Hìc Paulus nullam ad Petrum, tanquam ad Eccleſiæ Caput, agnoſcit ſubjectionem. CONTRA. Paulus non loquitur hìc de Petro, ſed falſis ſubintroductis fratribus, qui urgebant, ut Titus circumderetur. Vide Cornel. à Lap. hìc.

VI. Ibid. v. 6. *Mihi, qui videbantur, eſſe aliquid, nihil contulerunt.* Hìc Paulus etiam Petrum ùt Caput non reſpicit.

CON-

CONTRA. Non agit de gubernatione, sed de Evangelio, quod ait, se non à Petro, aut aliis Apostolis, sed ab ipso Christo accepisse: patet ex contextu capitis.

VII. Ibid. v. 8. *Qui operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes.* Ergo Paulus in Jurisdictione fuit à Petro divisus, ita ut Petro tribuerentur Judæi, Paulo Gentes. Ergo Petrus non erat Caput omnium. CONTRA. Hæc divisio fuit tantùm Provinciarum, sicut & in Apostolis aliis: omnibus enim dictum est: *Euntes docete* Gentes. Et revera Petrus etiam ad Gentes abivit: nam sedem Romæ posuit inter Gentes.

VIII. Ibid. v. 11. Petro Pau-

ſus *in faciem reſtitit.* Ergo Paulus Petrum non reſpexit ùt ſuum Caput. CONTRA. Reprehendit Paulus Petrum; ſed non negavit eii Primatum: neque indecens eſt, ſi inferior quandoque, cum debita tamen modeſtia, & reverentia, ſuperiorem moneat. Ità Cypr: in Ep. ad Quintum: & Greg. Hom. 18. in Ezech.

*Corollarium*

VIdes, *ſcriptum eſſe* Petrum à Chriſto, viſibile Caput Eccleſiæ eſſe conſtitutum, *non* verò *ſcriptum eſſe*, eum non eſſe à Chriſto conſtitutum.

## *CONTROVERSIA IX.*
## De
# PETRI IN PRIMATU SUCCESSORE.

*Catho-*

## *Catholica Doctrina.*

PEtro in Primatu, hoc eſt, in Regimine totius Eccleſiæ ſuccedit quivis Pontifex Romanus legitimè electus. *Acatholci quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. In veteri Teſtamento, quod fuit figura novi; ubi Succeſſores Aaronis fuerunt æquè ſummi Sacerdotes, ac ipſe Aaron. Num. 20. 28. Aaroni ſucceſſit Eleazarus Jud. 20. 28. Eleazaro Phinees, & ità deinceps.

II. Joan. 21. 17. *Paſce oves meas.* His verbîs ait S. Chryſ. l. 2. de Sacerdotio, Chriſtus Oves, quarum causâ ſanguinem ſuum effudit, tum Petro, tum Petri Succeſſoribus committebat. Ex hoc textu hoc Argumentum cõſi-

citur.

citur. Necesse est esse aliquem, qui mortuô Petro, & *Ovile* regat, quod usque ad consummationem mundi manebit, & Oves pascat: eadem enim est necessitas semper, quæ fuit initiô Ecclesiæ. Atqui non fuit hactenus in Ecclesia assignatus, alius quàm Romanus Pontifex. Quem etiam Concilia, Nicænum. Chalcedonense, Constantinopolitanum ante quintam Synodum, Lateranense, Lugduñense Generale, Florentinum, &c. admittunt. Ergo ille est Successor Petri.

*Acatholica Doctrina.*

ROmanus Pontifex succedit quidem Petro in Romano Episcopatu, non verò in Primatu, vel regimine totius Ecclesiæ. *Sed*

UBI

UBI SCRIPTUM EST?

NULLIBI.

*Corollarium.*

HInc patet, *scriptum esse*, Petri Successorem in Ecclesiæ Primatu esse Romanum Pontificẽ legitimè electum: contrarium verò *non esse scriptum*.

## *CONTROVERSIA X.*
## De INFALLIBILITATE SUMMI PONTIFICIS.

*Catholica Doctrina.*

SUmmus Pontifex, ùt Pontifex, cùm totam Ecclesiam docet, tam in his, quæ ad fidem pertinent, quàm in præceptis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur, sive in rebus ad salutem

necessariis, sive in iis, quæ per se bona, aut mala sunt, nullo casu errare potest: ita ut infallibilitas, non in Concilio Episcoporum, nec in cœtu Consiliariorum, sed in ipso Pontifice sit statuenda. *Sed clamant Acatholici:*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Luc. 22. 31. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* His verbis intelligitur Christus duo pro Petro petiisse. Primum, ut ipse quantumvis à diabolo tentetur, non possit unquam veram fidem amittere. Sic illa: *ut non deficiat fides tua.* explicant August. I. de Correpț. & Grat. c.

S. Chryſ. hom. 83. in Matt. Theophyl. hic. Secundum, ut ipſe tanquam Pontifex non poſſit unquam docere aliquid contra fidem: nec in Sede ejus unquã inveniatur, qui contra veram fidem doceat. Sic illa: *confirma fratres tuos:* explicãt Theophyl. hic. Leo ſerm. 3. de aſſumpt. ſua ad Pontif. Nicolaus I. in Ep. ad Michaëlem. Vide Bell. To. I. de Rom Pontif. l. 4. c. 2.

II. Math. 16. 18. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Ex hoc, quòd Chriſtus promittat, portas inferorum non prævalituras adversùs Eccleſiam, quæ petræ, ût fundamento, eſt inædificata; probat Orig. hic etiam illam ſoliditatẽ,

& constantiam promissam esse petræ ipsi, super quam, ùt fundamentum, Ecclesia est ædificata; nam, inquit: *Si prævaleant adversùs petram, in qua fundata est Ecclesia., etiam prævalebunt adversùs Ecclesiam.* Nonne tota domus corruat, necesse est, si fundamentum destruitur? Ita etiam sentiunt Chrysost. Cyryl. Teodoretus, Hier. August. Greg. & alii. Vide Bell. loc. cit. Et iisdem verbîs idem probari de Petri Successoribus clarum est, quia illi æquè sunt petra, & fundamentum Ecclesiæ, ac Petrus; utì priore Contr. dictum est.

III. Joan. 21. 17. *Pasce oves meas.* His verbîs Pontifex constituitur Pastor, & Doctor Ecclesiæ, quem ipsa teneatur audire, & sequi; Ergo ex eo debet

Pontifex non posse errare, alioquin & Ecclesia poterit errare, quod est contra Christi promissionem Matth. 16. 18. Nec juvat dicere, teneri Ecclesiam, ipsum audire, & sequi, quando rectè docet, non verò quando errat: nam quis judicabit, num erret, nec nè? non ipsi fideles, quia Oves non judicant Pastorem: non Concilium, quia istud ipsum, nisì à Pontifice approbatum non est infallibile, ùt contr. seq. videbitur.

*Acatholica* Doctrina.

POntifex, ùt Pontifex, sive cum Concilio Episcoporum, sive cum cœtu Consiliariorum potest, & in fide errare, & contra fidem docere? *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

Objiciunt tamen ex primo loco] Catholicæ doctrinæ.

I. Quando Christus promisit Petro, non defecturam ejus fidẽ, nondum erat Romana Ecclesia, nec Dominus, Sedis Romanæ meminit. Ergo Petro id non promisit ùt Pontifici, sed ùt privato. CONTRA. licèt Petrus tunc nondum fuerit verbîs declaratus, erat tamen in Christi mente designatus.

II. Si, quod Petro fuit dictum, etiam dictum est Successoribus; Ergo etiam omnes Successores debebunt priùs Christum negare; & rursum converti, quàm fiant Pontifices. CONTRA. I. Illud *conversus* non est intel-

telligendum de Petri converſione à peccato negationis; agit enim de tentatione aliorum in Eccleſia, ad quos debeat ille, & alii ejus Succeſſores *converti*, ùt confirmēt. II. Succeſſoribus in Petro dictum eſt, quod Petro ùt Pontifici futuro erat dictum: converti autem à negatione (ſiquidem ità libeat explicare) non eſt dictum Petro ùt Pontifici, ſed ùt privatæ Perſonæ.

III. Multi Canones docent, Pontificem non poſſe judicari, nisì inveniatur à fide devius: Ergo prævifum eſt eum poſſe à fide deviare. CONTRA. Canones loquuntur de Pontificis errore perſonali, non judiciali.

IV. Si Pontifex, ùt Pontifex,

etiam solus, est infallibilis: Ergo frustra sunt Concilia. CONTRA. Licèt sit infallibilis, tamen media humana debet adhibere, ut cautè procedat: quomodo autem cautiùs procedat, quàm si plures particulares Ecclesias audiat?

In aliis Objectionibus, ubi errores Pontificum producunt, videndum est, an Pontifex, ùt Pontifex, id docuerit. Vide Bell. loc. cit.

*Corollarium.*

ERgo *scriptum est*, Pontificem esse infallibilem, & *non scriptum est*, eum esse fallibilem.

## *CONTROVERSIA* XI.

De

# AUTHORITATE.

## CONCILIORUM

## IN ECCLESIA.

*Catholica Doctrina*

CONcilia Generalia legitima, & à ſummo Pontifice confirmata, nec in fide, nec in moribus errare poſſunt. *Sed quærunt Acatholici:*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Matth. 18. 20. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Chriſtum verò hìc de plurium congregatione, arguendo à minori ad majus, loqui oſtēdit verſus 17. *Dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut*

*Ethnicus*, & *Publicanus*. *Amen dico vobis*, *quæcunque alligaveritis*, *&c.* Sic explicat Conc. Chalcedonense act. 3. in Ep. ad Leon. Sexta Syn. act. 17. & Conc. Toletanum. III. Si, autem Christus est in medio eorum, qui Ecclesiam repræsentant, quomodo possunt errare?

II. Joan. 16. 13. *Spiritus veritatis* (quem ait c. 14. 16. *dabit vobis*, *ut maneat vobiscum in æternum*) *docebit vos* (non solùm Apostolos, sed etiam Episcopos) *omnem veritatem*: Non autem docet seorsim singulos: Ergo congregatos.

III. Actor. 15. 28. Primum Concilium Hierosolymitanum, inquiens: *Visum est Spiritui S. & nobis*; non potest erroris argui,

nisi

nisi & Spiritus S. possit errare. Ergo nec reliqua, quibus Spiritus S. æquè, ac huic assistit, utì modò ostensum est, errare possunt.

IV. Iisdem locîs quibus Cōtr. 5. & 6. ostensum est, Ecclesiam nec deficere, nec errare posse. Vide ibi.

V. Luc. 10. 16. *Qui vos*, Apostolos, & vestros Successeres Episcopos, *audit, me audit*. Si à DEO jubemur eos, ùt Magistros nostros audire: Ergo debent non posse errare, maximè in Nomine Christi congregati.

*Acatholica Doctrina.*

NUllum est Concilium, licèt à summo Pontifice sìt confirmatum, quod errare non possit. *Sed*

UBI

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Isa. 56. 10. *Speculatores ejus cæci omnes, nesciêrunt universi; videntes vana, amantes somnia. Ipsi Pastores ignoraverunt.* Jer. 6. 17. *A Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Os. 6. 8. *Propheta, laqueus ruinæ factus est, &c.* An non hìc errores significātur? CONTRA. I. Præterquā quòd loquantur per synecdochen (quis enim credat, omnes veteris Testamenti Prophetas tales fuisse?) non loquuntur de Prophetis in unum congregatis, sed privatim loquentibus. II. Sacerdotes veteris Testamenti non habuêre illā à DEO infallibilitatis promissionem, sicut Ecclesia Matth. 16. 18. Vide Bell. hìc c. 6. & sup. Contr. 5. & 6.

II.

II. Jer. 14. 14. *Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo.* CONTRA. Scilicet Pseudo-Prophetæ, de quibus mox addit. *Non misi eos & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos.* Tales non sunt Episcopi in Conciliis legitimè congregati.

III. Act. 20. 29. *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes Gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Matth. 24. 11. *multi Pseudo-Prophetæ surgent, & seducent multos.* CONTRA. Nonne hæc aptissimè quadrant ipsis Hæreticis? sic sentit Ambr. l. 7. in c. 10. Luc. S. Clemens l. 8. Const. c. 18. & vivente adhuc Paulo, Hymenæus,

Ale-

Alexander, & alii ſurrexerunt. 1. Tim. 1. 20.

*Corollarium.*

QUid videtur? nonne *ſcriptum eſt*, Concilia Generalia legitimè congregata à ſummo Pontifice confirmata, non poſſe errare; & *non ſcriptum eſt*, poſſe errare?

---

## *CONTROVERSIA XII.*
## De
## CLERICATU IN ECCLESIA.

*Catholica Doctrina.*

IN Eccleſia Clerici ſunt, quibus Cultus divinus, & functiones Eccleſiaſticæ demandantur; & Laici, plebei, & populares, quibus nullum Eccleſiæ miniſterium committitur. *Quærunt Acatholici:*

UBI

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Num. 18. 20. & Deut. 18. 2. Dicitur *Dominus esse pars, & Hæreditas Sacerdotum, & Levitarum*; eò quòd illis noluerit dari partem in sortitione terræ, sicut reliquo populo: sed iis donavit partem suam, scilicet decimas, & oblationes Filiorum Israël. Unde dicuntur de sorte Domini, aut Clerici à *cleros*, quod sortem, sive hæreditatem significat. Ità Hier. in Ep. ad Nepot. Sicut autem in veteri Testamento erant Sacerdotes, & Levitæ à reliquis distincti, ità & in Ecclesia Clerici sunt distincti à populo, qui à *laos* dicuntur Laici.

II. Jer. 12. 13. *Hæreditatem acceperunt; & non eis proderit*. Vel,

juxta septuaginta ex Græco: *Sortes eorum non proderunt eis* Ex quo loco juxta Orig. hom. 7. in Jer. Epiphan. Ep. ad Joan. Epis. Hieros. Hieron. in comm. & Epist. ad Nepot. Episcopi, Presbyteri, & alii Ecclesiastici Ordinis Clerici nominantur. Vide Bell. Tō 2. de Clericis l. 1. c. 1.

*Acatholica Doctrina.*

IN Ecclesia, licèt aliqui sint Ecclesiastico Ministerio destinati, aliqui non; non tamen alii Clerici alii Laici dicēdi. *Quærunt Catholici:*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Ad Gal. 3. 28. *Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque fæmina; omnes enim vos unum estis in Christo JESU.*

Ex

Ex hoc ajunt, populum Christianum debere unum, & simplicem esse sinè differentia personarum. CONTRA I. Apostolus iis verbîs solum vult, ista non facere filios DEI, sed Fidem cum Spe, & Charitate; quod idem nos de Clericatu dicimus, nec enim ideo quisquam est DEI filius, quia est Clericus, sed si est Clericus benè vivens. II Corporis ūnitas & simplicitas non excludit diversitatem membrorum, juxta, 1. Cor. 12. 20. *Multa quidem membra, unum autem corpus.*

II. 1. Pet. 5, 2. *Pascite, qui in vobis est, gregem DEI, &c. neque dominantes in Cleris; sed forma facti gregis ex animo.* Hìc à Petro. tota Ecclesia, Clerus vocatur. CONTRA. Ubi est scriptū

per

per *Clerum*, totam Ecclesiam intelligit? S. Hier. Ep. ad Nepot. & Oecum, in hanc Epis. per *Clerum* intelligunt Ordinem Ecclesiasticum.

*Corollarium.*

QUis porrò neget, *scriptum esse*, in Ecclesia esse Clericos à Laicis distinctos: è contra *non scriptum esse*, non debere in Ecclesia Clericos esse distinctos?

## *CONTROVERSIA XIII.*

## De VOCATIONE. MINISTRORUM.

*Catholica Doctrina*

VOcatio, seu Missio Episcoporum, & aliorum Ministrorum, quâ Jurisdictio confertur, quæ planè necessaria est, non per-

pertinet ad populum ſed immediatè ad Epiſcopos, & ſummum Pontificem, mediatè ad DEUM. loquendo de modo ordinario. *Acatholici quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Matth. 16. 19. *Tibi dabo claves.* Et Joan. 21. 17. *Paſce Oves meas.* Hìs dictìs Petro, non populo commiſit Chriſtus Eccleſiam regendam, & paſcendam: Ergo etiam jus vocandi, & mittendi, per quos mediatè regat, & paſcat, quando ipſe ſolus eam immediatè non poſſet. Vide Bell. To. 2. Contr. 2. l. 1. c. 4.

II. Act. 14. 22. *Cùm conſtituiſſent* Paulus, & Barnabas *illìs per ſingulas Eccleſias Presbyteros, &c.* Hi autem non erant Laici, ſed Epiſcopi. Vid. Cornel. à Lap. hìc

III.

III. Ad Tit. 1. 5. *Hujus rei gratiâ, reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Presbyteros* ( ſcilicet Epiſcopos, & Sacerdotes ) inquit Paulus ad Titum, quem ipſe priùs conſtituerat Epiſcopum; ſic explicat Leo I. Ep. 87. ad Epiſc. Africæ c. 2. & Concil Sardicenſe Can. 6.

IV. Hebr. 5. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Ergo qui vel ſe ipſum intrudit, vel mittitur, aut vocatur à Laicis, non cenſendus eſt legitimus Eccleſiæ Miniſter.

*Acatholica Doctrina.*

VOcatio ſeu Miſſio vel ſpectat ad ſolum Deum, ùt Wicleff. & Huſſ. volunt; vel ad totam Eccleſiam, vel Clerum & popu-

populum Laicum, ùt Luthero, & Calvino placet. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Joan. 20. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, ait Christus: Ergo ad eum solum spectat vocare, & mittere Ecclesiæ Ministros. CONTRA. de Apostolis verum est, nec initiô aliter fieri decuit: non verò de aliis Episcopis: nam Timotheū, & Titum non misit Deus immediatè; sed Paulus.

II. Act. 20. 28. *Attendite gregi; in quo vos Spiritui S. posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI.* CONTRA. Spiritus S. mediatè posuit; sed Apostoli immediatè.

III. Eph. 4. 11. *Et ipse* Christus *dedit quosdam quidem Apostolos, &c. alios Pastores, & Doctores.*

*ctores*. id est, Episcopos. CONTRA. Designatio muniorum talium in Ecclesia, est à Christo immediatè, non verò personarum ad talia munia vocatio, & missio, nisì initiô Ecclesiæ, dum ipse in terris vixit.

IV. Rom, 13. 1. *Non est potestas nisi à Deo*. CONTRA. immediatè, vel mediatè.

V. Act. 6. 5. *Placuit sermo coram omni multitudine* fidelium, *& elegerunt Stephanum*, *&c.* CONTRA. Hoc, utì & alia exempla, ubi populus cum Clero concurrebat in costituendis Episcopis, & Presbyteris, probant de Electione, quâ tantùm Persona designabatur, non verò de Vocatione, & Missione, quâ Jurisdictio, & potestas ad Ecclesiastica munia obe-

unda.

unda conceditur Vide Cornel. à Lap. hic.

VI. Matth. 16. 19. *Tibi dabo claves.* Et Matth. 18. 18. *Quæcunque alligaveritis &c.* dicta sunt toti Ecclesiæ. Ergo & populo Laico. CONTRA. Ubi hoc scriptum est in scriptura? Vide. supr. Contr. 8.

*Corollarium.*

ECce! *scriptum est*, Vocationem, & Missionem Ministrorum Ecclesiæ, non ad populum pertinere: *non vero scriptum est*, ad populum perti nere.

# CONTROVERSIA XIV.

## De ORDINATIONE MINISTRORUM.

### *Catholica Doctrina.*

ORdinatio tum Episcoporum, tum aliorum, non ad Laicos, sed ad solos Episcopos pertinet.

*Quærunt Acatholici:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Lev. 8. Moyses Aaronem à Deo electum, & vocatum ordinavit, & consecravit in summũ Pontificem, & Filios ejus Sacerdotes. Moyses autem non erat Laicus, sed Sacerdos, ut testatur David Ps. 96. 6. *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus:* & cum eo Hier. Aug. Nazian. Nyss. Vide Bell. Tõ. 2. Contr. 2. l. 1. c. 3.

II.

II. 1. Tim. 4. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi, per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*, nempe Episcoporum. Sic explicant Chryſ. Theodoretus, Oecum. Theophyl. apud Bell. neque in veteri Teſtamento, nec in novo, nec in Eccleſia unquam legitur quiſpiam à Laicis ordinatus.

*Acatholica Doctrina.*

TOtus cœtus tum Laicorum, tum Clericorum conjūctim poteſtatem habet ordinandi Miniſtros: & licèt ſoli Paſtores vitandæ confuſionis causâ manus imponant, tamen nomine populi faciunt, ut is dicatur non ſolùm eligere, & vocare, ſed etiam ordinare, ad quod populus Jus habet. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

NULLIBI.

Nisi fortè Exemplum Michæ Judic. 17. 5. velint allegare, qui sculptile, & conflatile sibi fecerat in domo sua, & ædiculam quoque in ea huic Deo suo separavit, & fecit ephod, & theraphim, id est, vestem sacerdotalem, & unum filiorum suorum consecravit in Sacerdotem. Sed qualis Michas Pontifex, talis ejus filius Sacerdos. Errorem ipse Michas agnovit; hinc ubi postquã nactus est Adolescentem Leviten de Bethlehem, mercede eum conduxit, ut esset in domo sua Sacerdos, dicens: *Nunc scio, quod benefaciet mihi DEUS, habenti Levitici generis Sacerdotem.* Ex

quo

quo perſpicuum eſt, ipſum Michæ judicâſſe, filium ſuum nihil eſſe minùs, quàm Sacerdotem; licèt ipſe manus ejus implevisset, & veſte ſacerdotali induiſſet.

*Corollarium.*

PEr ſe patet. Ex hoc tamen eſt colligere, qualis ſit Acatholicorum Eccleſia, qualia habeant Sacramenta, qualis cultus divinus; cùm non habeant Miniſtros Eccleſiæ ritè ordinatos, nec Sacerdotes, niſi à Catholicis profugos.

---

## *CONTROVERSIA XV.*

## De

# CÆLIBATU IN ECCLESIA.

*Catholica Doctrina.*

NOn Jure divino, sed positivo Apostolico, est Cælibatus sacris Ordinibus in Ecclesia Latina annexus; id est, ut post sacros Ordines susceptos non ducant uxores; vel si antè habuerunt, quoad thorum separentur. *Acatholici quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Ad Tit. 1. 8. *Oportet Episcopum esse, &c. sobrium, justum, sanctum, continentem*, id est, à libidine, & uxoris amplexu abstinentem. Sic explicat Hier.

II. 2. Tim. 2. 4. *Nemo militans Deo*, in Ecclesiæ ministeriis, juxta Chrys. & Amb. *implicat se negotiis sæcularibus:* inter quæ Tertull. in exhort. ad Cast. numerat Conjugium, quod apud

Gen-

Gentiles etiam militibus vetitum erat, ut expeditiores essent.

Cùm sit Sanctio Apostolica, alia ex Scriptura peti non possūt.

*Acatholica Doctrina.*

NOn solùm ante, sed etiam post susceptos sacros Ordines licet uxorem ducere, nè fornicandi periculo, Ecclesiæ Minister exponatur. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. l. 1. Tim. 4. 3. *Prohibentes nubere*, vocantur Hæretici: Ergo Ecclesia non potest Ecclesiæ Ministris id prohibere. CONTRA. Apostolica Constitutio non prohibet absolutè in Ecclesia nuptias, sed Cælibatum tanquam conditionem in Ordinandis requirit: nec tamen vel ad sacros Ordines, vel ad Cælibatum cogit.

Hinc ante ſacros. Ordines ſeriò, & ſedulò ſingulos monet, ut ſi continere non poſſint, ab Ordinibus faceſſant; cùm juxta Apoſt. meliùs ſit nubere, quàm uri.

II. 1. Tim. 3. 2. & Tit. 1. 6. inter reliquas boni Epiſcopi dotes ponit Conjugium, ut *ſit unius uxoris vir*. CONTRA. Non præcipit hoc Paulus, nec in Epiſcopo requirit, ipſe enim contrarium fecit, qui de ſe dicit 1. Cor. 7. 8. *Dico non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic maneant, ſicut & ego*. Et quotquot hucusque in Latina Eccleſia ſanctiſſimi fuerunt Epiſcopi, continentes fuerunt. Hoc textu autem Apoſtolus exigit Epiſcopum non eſſe bigamum. Ità Epiph. Theophyl.

Hier.

Hier. Leo, & alii apud Cornel. à Lap. hîc.

III. Ibid. v. 11. *Mulieres* Ministrorum Ecclesiæ *sint pudicæ*. Ergo vult Apostolus, eos, habere uxores. CONTRA. Loquitur de eorùm uxoribus, quas ante Ordinationem duxerant, à quibus tamen postmodum se continebant; & vult non facilè conjugatum ordinandum, quin moraliter de continentia etiam conjugis constet.

IV. 1. Cor. 9. 5. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem*, id est uxorem *circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, &c.* CONTRA. Non loquitur de uxoribus aliorum Apostolorum, sed piis fœminis, quæ Apostolis de facultatibus suis ministrabant, sicut

cut & Christum hoc fine, aliquæ sequebantur, Luc. 8. 3. Ità explicat Chrys. Theodo. Oecum. Theophyl. Ambr. Haymo, Tertul. Hier. Aug. Vide Bell. Tom. 2. Contr. 2. l. 1. c. 20. *Mulieres* autem dicuntur *sorores*; sicuti Act. 1. 16. *Viri* dicebantur *fratres*.

V. Cor. 7. 2. *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat;* quod periculum cùm etiam sit in Ecclesiæ Ministris, videtur & illis, Apostolus præcipere. CONTRA I. Loquitur de conjugatis Laicis, qui uxores in paganismo ductas volebant dimittere. II. Non præcipit, sed svadet, & contrarium sæpè eodem capite dicit. Non tamen hæc suasio ad Ecclesiæ Ministros pertinet, quibus li-

be-

berum erat cultui divino se mancipare: vel non: ubi autem liberè cultui divino se mancipârunt, liberum non est cælibatum servare, sed coguntur; quia liberè se necessitati subjecerunt.

*Corollarium.*

ERgo *non est scriptum*, Ecclesiæ Ministros debere esse uxoratos.

---

*CONTROVERSIA XVI.*

De

# CONSILIIS EUANGELICIS.

*Catholica Doctrina.*

VOluntaria Continentia. Obedientia, & Paupertas, in quibus perfectio Religiosa consistit, non præcepta sunt, sed cōsilia,

DEO grata. *Quærunt Acatholici*:

UBI SCRIPTUM EST?

*I. De Continentia.*

℞. I. Isai. 56. 4. *Hæc dicit Dominus Eunuchis: qui custodiêrint sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea locum, & nomen meliùs à filiis, & à filiabus.* De continentibus voluntariis, ob verbum *elegerint*, explicant Hier. Cyr. Aug. Basil. Ambros. Greg. Vide Bell. To. 2. Contr. 2. l. 2. c. 9.

II. Matth. 13. 23. *Qui in terram bonam seminatus est, fructum affert: & facit aliud* (continentia virginalis) *centesimum, aliud* (viduitas) *sexagesimum, aliud* (conjugium) *trigesimum.* Sic exponunt

ponunt Cyr. Hier. Aug. & alii & virginitatem ùt DEO gratiorem aliis præferunt, utpote cui majus meritum reſpondet.

III. Matth. 19. 10. Dicentibus diſcipulis: *Non expedit nubere, ait: non omnes capiunt verbum iſtud. Et ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum cælorum: qui poteſt capere capiat.* Ex hoc probat Aug. eſſe conſilium, non præceptum.

IV. 1. Cor. 7. 25. *de Virginibus præceptum Domini non habeo: conſiium autẽ do &c.* Et v. 36. *Quod vult, faciat; non peccat, ſi nubat.* Si liberum: ergo non eſt præceptum.

*II. De Obedientia*

I. Matth. 19. 21. *Si vis* (non cogeris) *perfectus eſſe. &c. veni ſequere me,* id eſt, obediendo. Sic

ipſe

ipſe Chriſtus explicat Matth. 16. 24. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*, renuntiando ſuo judicio, ſubmittēdo ſe judicio alterius: ſicut ego, *qui fui obediens uſque ad mortem* Philipp. 2. 8. Loquitur enim de ſequela in moralibus.

II. Jer. 35. 18. Laudat Deus Rechabitas, quòd obediverint in iis, ad quæ præcepto Divino non tenebātur, Patri ſuo Jonadab præcipiēti, nè biberēt vinum in ſempiternum, domū non ædificarēt, ſementē non ſererent, &c. & remunerat, ùt rem ſibi gratam. Vide Bell. Tom. 2. Contr. 2. l. 2. c. 9. Per hos intelligi Religioſos. Vide Corn. à Lap. hìc.

*III. De paupertate.*

I. Matth. 19. 21. *Si vis* (non præ-

præcipio) *perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Ecce præmium. Cur ergo non sit DEO paupertas grata?Ità Hier. Aug. Hil. Chrys. & alii apud Corn. à Lap. hìc.

II. Matth. 19. 27. Dicenti Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* respondet Christus ibid. 29. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, aut filios, aut agros, propter Nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Hæc de consilio, non de præcepto, explicant SS. PP. apud Corn. à Lap. hìc. Et præmium probat placere DEO.

Acta-

*Acatholica Doctrina.*

HÆc tria, quæ vocant, Consilia Evangelica Catholici, & opera supererogationis, mera sunt impietas, & superstitio: unde nec per se meritoria sunt, nec DEO placẽt, nec à DEO svadẽtur; sed prohibentur. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Deut. 6. 5. Matth. 22. 37. Marc. 12. 30. Luc. 10. 37. præcipitur à DEO omnibus: *Diligant Dominum DEUM ex toto corde ex tota anima, ex tota fortitudine, ex tota mente, ex tota virtute, ex omnibus viribus.* Nihil hìc reliquum est homini, quod liberè supererogare possit, cùm debeat omnia. CONTRA. Præcipitur sic *toto corde* Deus diligi, ut non dividamus

cor.

cor; simul aliud, quod DEO adæ-
versatur, cum DEO diligendo;
quale est peccatum, vel quod
inducit in peccatum: quod
impletur; si ab illicitis abstinea-
mus. An non autem supereroga-
ri quid potest, etiam amore DEI
à licitis abstinendo? Sic apud
Cornel. à Lap. hìc explicat Vi-
ctor. Antioch. Vide Bell. hìc.
c. 13.

II. Luc. 17. 10. *Cùm feceri-
tis omnia, quæ præcepta sunt vo-
bis, dicite, servi inutiles sumus,
quæ diebuimus facere, fecimus.* Si
inutiles: ergo nihil ampliùs pos-
sunt facere, quod gratum sit.
CONTRA I. His potiùs consulit,
ut impletis præceptis non acquie-
scamus; sed ad opera etiam su-
pererogationis, assurgamus. II.
Non

Non dicit eos esse inutiles; sed vanæ gloriæ vitandæ causâ suggerit, ut inutiles se potiùs reputent, quàm de impletis præceptis vanè se extollant. Sic apud Corn. à Lap. hìc Bernard. Amb. Chrys. & alii.

III. Deut. 4. 2. *Non addetis ad Verbum, quod vobis loquor.* Et 12. 32. *Quod præcipio, hoc tantùm facito Domino; nec addas.* Ergo superaddere præceptis Consilia, est impium. CONTRA I. Prohibemur ad præcepta addere, quod ea corrumpit, utì Contr. 1. in Doct. Acath. R. *1.* dictum: Consilia autem perficiunt, non corrumpunt. Quis enim dicat, non licere aliquid alteri donare, eò quòd tantùm præceptum sit, alteri nil furari? II. Christus ad-

di-

didit Consilia, non homines: quis autem prohibeat Legislatori ad leges suas aliquid suadere amplius, quàm quod legibus est præceptum? Vide Bell. Tom. 1. Contr. 3. l. 4. c. 17.

IV. Ad Philip. 4. 8. *De cætero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque justa, quæcunque sancta, hæc cogitate.* Nihil est, quod huic Apostoli præcepto possit superaddi. CONTRA. Apostolus hìc præcipit, nè contraria, id est, falsa, impudica, impia, &c. cogitemus. alioquin, ut quæcunque vera positivè cogitemus, debebimus, & totam Scripturam, & totam Philosophiam, & Mathematicorũ demonstrationes cogitare. Sic apud Corn. à Lap.

hìc

hìc explicat Theoph. Chryſ. Ambroſ. & alii.

V. 1. Tim. 5. 14. *Volo Juniores nubere, filios procreare, nullam occaſionem dare Adverſario maledicti gratiâ.* CONTRA. Non abſolutè præcipit, ſed ſuadet, ſi cōtinere non poſſint: & illò tēdit, quod dicit, 1. Cor. 7. 9. *Melius eſt nubere, quàm uri.*

*Corollarium.*

NOnne *ſcriptum eſt*, hæc tria Conſilia eſſe, non præcepta; DEO tamen grata: & *non ſcriptum eſt*, eſſe impia, & DEO ingrata?

---

## *CONTROVERSIA XVII.*
### De
# VOTIS.

***Catholica Doctrina.***

Quæ-

Quæcunque bona opera fiunt ex voto, etiamsi aliàs non sint præcepta à DEO, sunt verè Dei cultus, & Deo grata. *Ast*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Gen. 28. 20 *Jacob vovit votum, dicens: Si fuèrit DEUS mecum, & custodierit me in via, &c. erit mihi Dominus in DEUM, & lapis iste, quem erexi, in titulum, vocabitur Domus DEI, cunctorumque decimas offeram tibi.* Hoc votum non fuisse de re præcepta, patet, quia erat conditionatum.

II. Psal. 131. 2, *David vovit votum DEO Jacob: si introièro in tabernaculum domûs meæ, &c. donec inveniam locum Domino* pro templo exstruendo. Non fuisse de re præcepta, patet 2. Reg. 77.

&

& tamen Deo gratum votum oſtendit v. 16. Davidi propter ea Dominus promittit ſtabilitatem throni.

III. Vota, de quibus Lev. 27. Num. 6. & 30. Deut. 12. & 23. non erant de rebus præceptis, & tamen grata fuiſſe Deo, patet Deut. 23. 21. ubi eorum ſolutionem ſeveriſſimè urgebat Deus, inquiens: *Cum votum voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus DEUS tuus & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſque peccato eris;* quia non eſt præceptum.

IV. Iſa. 19. 21. *Colent eum in hoſtiis, & in muneribus: & vota vovebunt Domino, & ſolvent.* Hæc de

de votis Christianorum expli-cant Hieron. & Cyr. Vide Bell. Tom. 2. Contr. 2. l. 2. c. 17.

V. 1 Tim. 5. 11. *Cùm luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt:* id est, *voverunt continentiam, & non reddiderunt,* ait Aug. in Ps. 75 & alii plures apud Cornel. à Lap. hìc. Ergo & apud Christianos vota erant usitata.

*Acatholica Doctrina.*

VOta quæcunque, nisi fiant de rebus à Deo præceptis, impia sunt, & nihil ad Dei cultum faciunt. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Psal. 53. 8. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Ergo non ex voto, quod necessitatem imponit.

CON-

CONTRA. Ex voto non ità necessitatur homo, ut non possit non facere, si velit peccare: sed sicut voluntariè vovit, ità voluntariè votum implet.

II. 1. Cor. 7. 35. *Non ut laqueum vobis injiciam*, scilicet ad continentiam quidem hortor: sed non ad votum, quod velut laqueus cogit. CONTRA. Si quis temerè, vel invitus voveat, potest votum laqueus dici; non autem si liberè & voluntariè voveat.

III. 2. Cor. 9. 7. *Unusquisque, prout destinavit, in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit DEUS.* CONTRA. Loquitur de necessitate, quam pudor, vel respectus humanus in faciendis bonis

operibus, non autem de ea, quam charitas, ex qua vota fiunt, inducit. Sic Patres apud Corn. hic.

IV. Ad Philem. v. 14. *Ne velut ex necessitate, bonum tuum esset, & voluntarium.* CONTRA. Idem est sensus hujus, qui prioris.

V. Eccle. 5. 3. *Displicet DEO infidelis, & stulta promissio;* qualis est Continentiæ, quam nemo potest servare, nisi ex speciali dono Dei. Sap. 8. 21. *Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi DEUS det.* CONTRA. Continentia dicitur quidem donum DEI, sed requirens hominis cooperationem: quia licèt sinè gratia DEI servari non possit, potest tamen cum ea (quam sufficientem nulli unquã ne-

negat) ſervari: & à plurimis ſervatur. Quare votum illius non eſt ſtulta promiſſio. Aliud eſt, ſi quis voveret eſſe Propheta, &c. eſſet ſtulta promiſſio: quia donum prophetiæ, eſt Dei donum ſinè hominis cooperatione.

*Corollarium.*

HInc nemo non videt, *ſcriptum eſſe*, vota de rebus etiam non præceptis, eſſe Dei cultum, & Deo grata: contrarium autem *non eſſe ſcriptum.*

---

## *CONTROVERSIA XVIII.*
## De
## OBSERVATIONE LEGIS DIVINÆ.

*Catholica Doctrina.*

LEx divina à juſtis hominibus, abſolùtè poteſt obſervari, non

non quidem per ſolas vires liberi arbitrii, ſed per auxilium gratiæ DEI, & Spiritum Fidei, & Charitatis in ipſa juſtificatione infuſum. *Quærunt Acatholici:*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Matth. 28. 19. *Euntes ergô*, ait Chriſtus, *docete omnes gentes*, &c. v. 20. *Docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Cur autem mittat, qui ſervare doceant, ſi ſervari non poſſunt?

II. Matth. 11. 30. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et 1. Joan. 5. 3. *Et mandata ejus gravia non ſunt.* Hîs uſum eſt Concilium Trid. Seſſ. 6. cap. 11. ut oſtendat mandata Dei non ſolùm poſſibilia, ſed & facilia eſſe. Neque vocatur *ſuave*

*jugum*, quia renatis non imputatur prævaricatio legis, ùt ait Calvinus: quia non imputatio peccati non aufert à lege, vel levitatem, vel gravitatem, quã in se habet.

III. Joan. 14. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate.* V. 21. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me* V. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Rom. 13. 8. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Gal. 5. 14. *Omnis lex in uno sermone impletur, diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Quis autem neget, posse nos, & Deum, & proximum diligere, quando in hoc *cognoscemur, Christi esse discipuli?* Joã. 13. 35. Aut putari prudenter potest Deum

si-

ſignum amoris erga ſe à nobis exigere, quod ſit impoſſibile?

IV. 3. Reg. 14. 8. *Non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me, in toto corde ſuo faciens, quod placitum eſſet in conſpectu meo.* Et cap. 15. 5. *Eò quod feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinâſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebûs vitæ ſuæ, excepto ſermone Uriæ.* Luc 1. 6. Zacharias, & Eliſabeth *erant juſti ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſinè querela.* Joan. 17. 6. dicit Chriſtus de Diſcipulis ſuis: *Tui erant: & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt.* Quod hi, cũ Dei gratia fecerunt, quidni & alii

omnes cum eadem divina gratia possint?

*Acatholica Doctrina*

LEx divina planè est impossibilis homini, ut etiam justus eam servare non possit. Æquè nobis impossibilia sunt omnia præcepta, atque illud: *Non concupisces*, ait Luth. lib. de libert. Christ. *Sed Catholici quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Act. 15. 10. *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices Discipulorum* (loquitur de renatis, & fidelibus) *quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini JESU Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.* CONTRA. S. Petrus loquitur de

lege

lege cerimoniali veteris Testamenti. quod ex contextu clarum est: cùm enim quidam Discipulorum putarent, totam legem Moysis esse adhuc Gentilibus conversis servandam, habitum est super ea re primum Concilium, in quo Petrus, ista dixit.

II. Gal. 3. 10. *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.* Ex hoc loco sic concluditur. Maledictus est juxta Moysen, qui non servat totam legem; nemo autem potest totam legem servare: ergo maledictus est, qui ex operibus legis est, id est, legi subditus, cùm tamen ejus observatione, utpo-

te

te impoſibili, juſtificari non poſſit. CONTRA. Apoſtoli ſenſus hic eſt! quicunque Euangeliô Chriſti promulgatô adhuc ſub lege Moyſis eſt, ſub maledicto eſt: quia, quòd fidem, & gratiam Chriſti, ſinè qua lex ſervari non poteſt, non habeat, legem divinam non poteſt ſervare, & conſequēter erit à Deo maledictus, juxta illud Deut. 27. 26. Hinc tale argumentum eſt formandū: Maledictus eſt juxta Moyſen omnis, qui non ſervat totam legem; ſed non poteſt ſuis viribûs ſinè fide, & gratia Chriſti totam legem ſervare: ergo maledicti ſūt, qui volunt legem ſervare, & tamen extra fidem, & gratiā Chriſti ſunt. Vide Bell. Tom. 3. de Juſtit. l. 4. c. 14.

III. Rom. 7. 18. *Velle* ſervare legem *adjacet mihi, perficere autem non invenio.* CONTRA. Apoſtolus non loquitur de legis obſervatione, ſed de actu concupiſcendi, licèt is citra conſenſum non ſit peccatum: quem velit tamen non ſentire, ſed non poſſit perficere, ut non ſentiat & quandoque invitus, & citra conſenſũ cogatur ſentire. Hinc optat hac etiam innocua neceſſitate liberari, inquiens: v. 24. *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Vide Aug. Tr. 41. in Joan. l. 6. in Julianum c. 2.

IV. Jac. 3. 2. *In multis offendimus omnes.* Et 1. Joan. 1. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt,* Ergo legem ne-

mo

mo poteſt totam ſervare, ut non ſit peccati alicujus reus. CONTRA. SS. Jacobus, & Joannes loquũtur de peccatis venialibus, quæ non ſunt contra, ſed præter legem, id eſt, aliqua imperfectio in obſervatione legis, juxta S. Thomam 1. 2. Quæſt. 88. 1. Error eſt Acatholicorũ, qui putant, omnia peccata eſſe mortalia, nulla venialia, de quo mox.

*Corollarium.*

Patet *ſcriptuum eſſe.* legem divinam poſſe obſervari cum Dei gratia, & *non ſcriptum eſſe*, nõ poſſe obſervari.

## *CONTROVERSIA XIX.*
## De
## PECCATIS ACTUALIBUS.

*Catholica Doctrina.*

PEccatorum, ex natura sua, alia sunt mortalia, & contra legem, quæ hominem amicitiâ DEI excludunt, & mortis æternæ reum constituunt, alia venialia, & præter legem, quæ non excludunt Dei amicitiã, & tantùm temporalis supplicii reum reddũt.

*Acatholici quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Matth. 5. 22. *Qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio, qui autem dixerit Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quanta peccatorum diversitas, ubi alia gehennâ, & alia judiciô tantùm, aut conciliô digna censentur. Nēpe, *qui irascitur* solùm interiùs, in judicium vocari potest, & notatur culpa venialis. Qui dicit

*Raca* ( vox est nihil significans, nisi animi commotionem ) de eo consultari potest, quali pœna sit dignus: & notatur ambiguitas, an venialis, an mortalis sit culpa. Qui dicit *fatue*, scilicet conviciando, dignus est gehennâ, & notatur culpa mortalis. Sic Aug. l. 1. de serm. Dom. c. 9. Vide Bell. Tom. 3. de Amiss. gratiæ l. 1. c. 6. & Cornel. à Lap. hìc.

II. Matt. 23. 24. *Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Et Luc. 6. 41. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Hìs arguit Pharisæorum peccata Dominus: dum autem alia *culici & festucæ*, alia *camelo*, & *trabi* comparat, quis non agnoscit illa levia, hæc gra-

via-

via censeri? cur alioquin peccata illa rebus tam dissimilibus conferret?

III. Luc. 12. 59. *Dico tibi, nõ exiẽs inde? dõnec etiam novissimum minutum reddas.* Per minutum intelligunt Tertull. Orig. Hier. Cyp. Ambr. Eus. apud Bell. loc. cit. peccata levissima, quæ tamẽ non impunita relinquentur.

*Acatholica Doctrina.*

PEccata omnia sunt ex natura sua mortalia, sed ex sola DEI miseratione veniala; scilicet. quãdo DEUS, non imputando, eorum veniam indulget. *Verùm.*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Deut. 27. 26. *Maledictus, qui non permanserit in sermone hujus legis.* Ezech. 18. 4. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.*

Hic

Hîc nulla fit diſtinſtio peccatorū.
CONTRA. Moyſes, & Ezechiel loquuntur de graviſſimis peccatis, à quibus populum deterrēt.

II. Rom. 6. 23. *Stipēdia peccati mors*. De omni peccato loquitur. CONTRA. Loquitur ſolùm de eo, quod cum Juſtitia, & gratia DEI non canſiſtit; quale eſt mortale.

III. Jac. 2. 16. *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus*. CONTRA. Loqui eum de peccatis, quæ ſunt contra legem (id eſt mortalibus) contextus docet. Dicit autem fieri omnium reum; quia ſi contra unum præceptum peccavit, nihil, ad mortem evitandam, facit reliqua omnia ſervâſſe; quia charitatē violavit.

IV. Matth. 5. 19. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis*,

*mini-*

*minimus vocabitur in Regno cœlorum*, id eſt planè excludetur, licèt ſit minimum peccatum; ergo inter venialia, & mortalia nullum eſt diſcrimen. CONTRA. Loquitur de Phariſæis & Scribis, qui prava interpretatione minima mandata deſtruebant; quod non erat minimum, ſed maximum peccatum.

V. Joan. 13. 8. *Si non laverote* à peccatis venialibus, juxta S. Aug. hìc, *non habebis partem mecum*; ergo venialia etiam ſeparant à DEO, & conſequenter non differunt à mortalibus. CONTRA. I. Chriſtus minatur ob inobediẽtiam, quòd nollet obedire in lotione pedum, ſeparandum: illa verò erat grave peccatum. II. Venialia non ſimpliciter exclu

dunt

dunt à Regno cælorum, ſicut mortalia, ſed ad tempus, donec eluantur.

VI. Matth. 10. 24. *Quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem.* Si minima opera bona merentur vitam æternam; ergo etiam minima peccata mortem æternam. CONTRA. Hìc non dicitur de minimo opere dandum cælum, ſed mercedem aliquam: ſic nec ſequitur, pro minimo peccato dandam pœnam æternam. II. Dare *calicem aquæ frigidæ* ex amore DEI, non eſt minimum, ſed valde magnum opus, cui non poteſt opponi peccatum veniale. III. Operi minimo dare maximã mercedem, eſt ingens liberalitas, quæ non eſt arguenda: ſed pec-

cato

cato minimo infligere maximam pœnã, eſt injuſtitia, & crudelitas, quæ ſemper eſt arguenda: quippe liberalem eſſe licet, non verò injuſtum. Vide Bell. Tom. 3. de amiſſ. Grat. l. 1. c. 12.

*Corollarium.*

AUdin? *ſcriptum eſt*, eſſe peccata alia mortalia, alia venialia; *non verò ſcriptum eſt*, omnia eſſe mortalia.

---

## *CONTROVERSIA XX.*

## De LIBERO ARBITRIO.

*Catholica Doctrina.*

IN homine etiam poſt Adami lapſum eſt liberum arbitriũ: id eſt, libera poteſtas ex mediis unum præ alio eligendi; aut unũ acceptandi, vel reſpuendi, tam

in

In actionibus liberis, quàm in moralibus, & ad salutem pertinentibus: pro executione tamen egêre auxiliô gratiæ divinæ. *Acatholici Quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. Pluribus in locis, si non his ipsis vocibus quoad sonum, certè clarissima periphrasi, ut nullius egeant explicationis.

I. Quoad liberam electionem hominis, Gen. 4. 7. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Num. 30. 14. *In arbitrio viri erit, ut faciat, sive non faciat.* Deut. 30. 19. *Testes invoco cælum, & terram, quòd proposuerim vobis vitam, & mortem: elige ergo vitam, &c.* Jos. 24. 15. *Optio vobis datur; eligite hodie, quod placet, cui servire potissimùm*

*debe-*

*debeatis.* 2. Reg. 24. 12. *Trium tibi datur optio; elige unum, quod volueris ex his.* 3. Reg. 3. 5. *Postula, quod vis, ut dem tibi.*

II. Quoad liberam executionem, ut nimirum homo aliqua possit facere, quæ non facit, & contrà, aliqua possit non facere, quæ facit. 3. Reg. 3. 11. *Quia postulâsti Verbum hoc, & non petiisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum* [quæ scilicet poterat postulare] *sed postulâsti tibi sapientiam, &c.* 4. Reg. 12. 4. *Pecuniam, quam* [poterant non inferre] *spontè, & arbitrio cordis sui inferunt in templum,* accipiant *illam Sacerdotes.* Eccl. 31. 10. *Qui potuit trãsgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* 1. Cor. 9.

1. Non

1. *Non sum liber?* v. 4. *nunquid non habemus potestatem manducãdi, & bibendi? nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?* quod tamen facere non voluit. Act. 5. 4. *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?*

III. Quò ad electionem, & executionem cum adjuncta conditione Isa. 1. 19. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quod si nolueritis, gladius devorabit vos.* Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* v. 21. *Si vis perfectus esse, vade vende, quæ habes, & da pauperibus.* Luc. 9. 23. *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, &c.*

Huc possent ex sacris Literis adduci omnia præcepta, cõsilia,

co-

exhortationes; quare enim quid præcipitur, cõsulitur, adhortatione urgetur fieri, nisì quia potest nõ fieri? Hæc omnia colligit S. Aug. l. de gratia. & lib. arb. c. 2. 3. Vide Bell. Tõ. 3. de lib. arb. l. 4. c. 7.

*Acatholica Doctrina.*

HOmo in statu naturæ corruptæ nõ habet ulla in re, liberũ arbitrium, nè in indifferentibus: quidem & civilibus: unde illud servum arbitrium vocandum, quod coactè operetur. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Isa. 41. 23. *Bene, aut malè, si potestis, facite.* CONTRA. Propheta hìc non homines, sed gentium simulacra alloquitur, de quibus David Psal. 113. *Oculos habent, & non videbunt, &c.*

II.

II. Ezech. 36. 27. *Spiritum meum ponam in medio vestrî, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis.* Sinè hoc spiritu non poterant; ergo non habebant liberum arbitrium CONTRA. Per Spiritum intelligitur hìc gratia Dei excitans, quâ interna inspiratione suadet, & invitat, ut consentiamus ad implendâ mandata, ità tamen, ut in potestate voluntatis relinquat cõsentire excitanti, vel non. Nimirum adjuvat infirmitatem, non tollit libertatem.

III. Psal. 118. 36. *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in varitiam.* 3. Reg. 8. 58. *Incliet corda nostra ad se, ut ambuemus in universis viis ejus, & ustodiamus mandata ejus.* Qui

sic

ſic orat, certè non habet in ſuâ poteſtate, ut faciat, vel non faciat. CONTRA. Qui ſic orat, petit à Deo gratiam ad exequendum, quod liberè elegit, ſicut in priore dictum.

IV. Joan. 8. 34. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Si eſt ſervus; ergo non liber. CONTRA. Servitus peccati opponitur libertati à peccato, non verò libertati naturæ: hinc ſervus peccati non eſt quidem liber à peccato, ſed tamen eſt liber, ut maneat in illa ſervitute, vel Dei auxiliô ſe liberet.

V. Joan. 15. 4. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, nisì manſerit in vite, ſic nec vos, nisì in me manſeritis.* Ergo nisì homo juvetur à Deo, nihil

hil poteſt. CONTRA. Hoc nihil efficit, nisì ut oſtendat, ad executionem, DEI gratiam libero arbitrio neceſſariam eſſe, ſicut palmiti vitis, quod non negamus.

VI. Cor. 4. 7. *Quid habes, quod non accepiſti?* Si nihil habemus proprii; ergo nec actiones ſunt in propria poteſtate. CONTRA. Liberum arbitrium accepimus donô à Deo, & ideo noſtrum eſt, ut pro arbitrio noſtro cum gratia Dei poſſimus facere, & omittere: hinc c. 3. 8. dicit: *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem;* quem ſcilicet ex *ſuo*, id eſt, libero arbitrio faciet, cùm poſſet non facere.

VII. Joan. 15. 5. *Sinè me nihil*

*po-*

*poteſtis facere.* Rom. 9. 16. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt DEI.* 1. Cor. 3. 7. *Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat* DEUS. CONTRA. Hæc ſolùm probant nos ad exequendũ, quod liberè elegimus, Dei gratiâ indigere, quod non negamus.

*Corollarium.*

ERgo *ſcriptum eſt*, eſſe in homine liberum arbitrium, & *non eſt ſcriptum*, non eſſe liberum arbitrium.

---

## *CONTROVERSIA XXI.*
## De
## JUSTIFICATIONE.

*Catholica Doctrina.*

Homo

HOmo justificatur fide, non tamen sola, sed cum aliis Virtutibus, Timore, Spe, Charitate, Pœnitentia, Sacramentis, & proposito novæ vitæ. Ex Trid. Conc. Sess. 6. c. 6. *Acatholici quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. in cõmuni: Jac. 2. 24. *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm?* hanc Epistolam pro Canonica accipiunt cum tota Ecclesia omnes SS. Patres. Sed Acatholici non recipiunt.

II. *De Fide*, Hebr. 11. 6. *Sinè Fide impossibile est placere DEO: credere, enim oportet accedentem ad DEUM.* Hab. 2. 4. *Justus in fide sua vivet.* Hinc fides à SS. PP. vocatur *Origo*

*Ju-*

*Justitiæ, janua in vitam, &c.* apud Bell. hìc Tom. 3. l. 1. c. 13.

III. *De Timore*, Eccleſ. 1. 28. *Qui ſinè timore eſt, non poterit juſtificari.* v. 27. *Timor Domini expellit peccatum*. Hinc S. Aug. apud Bell. ait. *Nunquam accidit, ut quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non aliquo DEI timore ſit perculſus.*

*IV. De Spe*, Proverb. 28 25. *Qui ſperat in Domino, ſanabitur.* Pſal. 36. 40. *Eruet eos à peccatoribus, & ſalvabit eos, quia ſperaverunt in eo.* Matth. 9. 2. *Confide fili; remittuntur tibi peccata tua.* Hinc Aug. apud Bell. *Nemo*, ait, *poteſt bene agere pænitentiam, niſi qui ſperaverit Indulgentiam.*

V. *De Charitate*, inchoata ſcil.

Luc. 7. 47. *Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum.* Gal. 5. 6. *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides, quæ per Charitatem, operatur.* Hoc *operatur* sumitur passivè 1. Joan. 3. 14. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; Et qui non diligit, manet in morte.*

VI. *De Pænitentia*, Act. 11. 18. *Et gentibus pænitentiam dedit DEUS ad vitam.* 2. Cor. 7. 10. *Quæ secundùm DEUM tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur.* Ezech. 18. 21. *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vitâ vivet, & non morietur.* Luc. 13. 3. *Nisi pænitentiam*

*tiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.*

VII. *De Sacramento*, nimirum Baptiſmi, Joan. 3. 5. *Nisì quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non poteſt introire in Regnum DEI.*

VIII. *De propoſitio novæ vitæ*, Ezech. 18. 31. *Projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* De quo ſcripſit librum integrum Aug. de Fide, & Operibus. Vide SS. PP. apud Bell.

*Acatholica Doctrina.*

FIdes ſola, excluſo omni alio opere, hominem juſtificat. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Rom. 3. 27. *Ubi eſt*

*gloriatio tua*, Judæe, quâ tibi arrogas Juſtitiam? *Excluſa eſt. Per quam legem? Factorum? non: ſed per legem Fidei. Arbitramur enim, juſtificari hominem per fidem ſinè operibus legis.* Rom. 4. 2. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud DEUM.* CONTRA. Apoſtolus in primo loquitur de operibus veteris Legis, utì ex ſeq. patet. Et de Fide, quæ gratiam Spem, Charitatem. &c. complectitur. In ſecundo loquitur de operibus ante Fidem, ſolis naturæ viribus, factis; ità Aug. apud Bell. hìc.

II. Gal. 2. 16. *Non juſtificatur homo ex operibus legis, nisi,* id eſt, ſed ſolùm *per fidem JESU Chriſti.* CONTRA. I. Loqui-

tur

tur de Lege veteri. II. Particula *nisi* malè explicatur per *solùm;* quia quando per illam aliquid alteri opponitur, ùt hìc fides opponitur operibus, significat apud Latinos *sed.*

III. 2. Ephes. 8. 9. *Gratia DEI salvati estis per fidem, non ex operibus.* CONTRA. Apostolus solùm excludit opera sinè fide, & gratia, facta.

IV. Philip. 3. 9. *Ut inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est* per opera: *sed illam, quæ ex fide Christi* sinè operibus. CONTRA. Fides Christi non excludit opera, sed includit. Vide Aug: hìc apud Bell.

V. Luc. 7. 50. *Fides tua te salvam fecit* Joan. 1. 12. *Dedit eis potestatem filios DEI fieri, qui cre-*

*credunt in nomine ejus.* Joan. 3. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Rom. 5. 1. *Justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum.* CONTRA. Licèt non fiat hìc mentio operum, nullus tamen SS. Patrum de sola fide intelligit.

VI. Luc. 8. 50. *Crede tantùm, & salva erit.* Ecce hìc per *tantùm* sola fides exigitur. CONTRA. Verum est loqui Christum de sola fide, sed in ordine ad miraculum in excitanda Jairi filia: ad miracula enim impetranda sola Fides sufficit; cùm miracula non faciant ad justificationem.

VII. Joan. 3. 16. *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternã.* CONTRA.

Parti-

Particula *omnis* cum *non* explicatur à S. Auguſt. apud Bell. Per *nemo*, id eſt, *ut nemo, qui credit, pereat*: ex quo fides quidẽ eſſe neceſſaria deducitur, ſed non ſola. Sic etiam alii textus Act. 13. 39. Rom. 1. 16. Rom. 1. 10. 4. & 1. Joan. 5. 1. intelligendi.

VIII. Rom. 4. 14. *Si ex lege hæredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio.* Per *legem* autem intelliguntur opera. CONTRA. Per *legem* intelliguntur opera Legis veteris, vel ſinè fide, gratia facta; ex quo bene dicit: ſi hæc juſtificant; ergo fruſtra eſt fides.

*Corollarium.*

QUid putas? an non *ſcriptum eſt*: non ſolam fidem juſtificare, & *non ſcriptum eſt*, ſolam fidem juſtificare. CON-

## CONTROVERSIA XXII.

### De INCERTITUDINE. JUSTIFICATIONIS.

*Catholica Doctrina.*

SInè speciali revelatione nemo potest esse certus, certitudine fidei, cui nullo modo possit falsum subesse, de sua Justificatione, id est, sibi esse remissa peccata. *Acatholici quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Prover. 20. 9. *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Non dicit neminem *esse mundum corde*; quia Christus testatur posse esse mundos corde, Matt. 5. 8. Sed neminem posse *dicere, se esse mundum.*

II.

II. Eccl. 9. 1. 2. *Sunt justi, atque sapientes, & opera eorum in manu DEI; & tamen nescit homo; utrùm amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servãtur incerta.* Ad literam sumit S. Hieron.

III. Eccl. 5. 5. 6. *De propitiato peccato noli esse sine metu &c. nè dicas: miseratio Domini magna est; multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Clarissimus est textus contra eos, qui se dicunr certos esse de justitia, modò fide Christi justitiam aprehendãt.

IV. Job. 9. 11. *Si venerit ad me, non videbo eum; si abiêrit, non intelligam,* v. 20. 21. *si justificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. Etiamsi sim-*

*plex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Hæc ſi certa fide noviſſet Job. ſe eſſe juſtum, ſinè mendacio dicere non potuiſſet.

V. Pſ. 18. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo* Qui locus non tantùm de venialibus, ſed & mortalibus intelligi debet. Vide Hier. Ber. apud Bell. hìc.

VI. 1. Cor. 4. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus* ſum: *qui autem judicat me, Dominus eſt.* Fortè Deus videt in conſcientia mea latere, quod ego non video. Sic exponunt Amb. Chryſ. Hier. Aug. aliiq; apud Bell. hìc l. 2. c. 5.

VII. 4. 24. *Forſan ignoſcet*

De-

Deus. Joel. 2. 14. *Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat* Deus? Hæc, & alia paſſim non reſpiciunt incertitudinem promiſſionis divinæ, ſed noſtræ diſpoſitionis: quâ poſitâ non poſſumus de juſtitia certi eſſe.

*Acatholica Doctrina.*

FIdeles non ſolùm poſſunt, ſed etiam debent certa fide ſtatuere ſibi peccata eſſe remiſſa, modò firma fide Juſtitiam Chriſti ſibi imputatam apprehendant. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Luc. 17. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus; quod debuimus facere, fecimus.* Si Chriſtus nos jubet dicere; fecimus nos, quæ debuimus facere;

cere; ergo debemus posse certi esse; alioquin juberet nos mentiri. CONTRA. Christus non hortatur nos, ut putemus nos omnia fecisse, quæ præcepta sunt, quod esset superbire; sed hortatur ad humilitatem, suadens, ut licét bona fide fecerimus, quæ sunt præcepta, & nullius transgressionis nobis conscii simus, demissè de nobis sentiamus; cùm possit peccatum nobis occultum latere, quod Deus cognoscit.

II. Joan. 3 21. *Qui facit veritatem, venit ad lucem; ut manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt.* Qui sic audet ad justitiæ solem accedere, debet certò scire sua opera esse bona. CONTRA. Hoc non sequitur; nam etiam peccatores confiden-

ter

ter accedebant ad Chriſtum, ut juſtificarētur; imò Chriſtus jubebat. Matth. 11. 28. *Venite ad me, qui laboratis &c.* Deinde hoc textu docet Chriſtus naturâ ſuâ malâ opera fugere lucem, bona è contra lucē non erubeſcere.

III. Joan. 13. 35. *In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis; ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Si alii poſſunt cognoſcere de nobis, ergo & unuſquiſque de ſe ipſo. CONTRA. Chriſtus ponit ſignum, quô exteriùs alii poſſint cognoſcere, quis ſit Chriſti Diſcipulus, non tamen certò & fide divina, ſed fide humana, & conjecturali.

IV Joan. 14. 17. *Vos cognoſcetis eum,* Spiritum Sanctum, *quia apud vos manebit, & in vo-*

*bis*

*bis erit.* CONTRA. Loquitur de cognitione Spiritus Sancti per fidem, sinè quâ nemo potest dona ejus accipere, nedum sperare: non autem de justificatione.

V. Joan. 14. 20. *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* CONTRA. In hoc juxta Aug. & Cyrill. hìc loquitur de cognitione beata post hanc vitam. Deinde si contendatur loqui eum de hac vita, explicatur de Ecclesia, in qua quia sumus per fidem, cognoscimus Christum esse in nobis, sicut est in Ecclesia, cujus ipse Caput est, & nos membra.

VI. Rom. 3. 22. *Justitia Dei per Fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.*

CONTRA. Apoſtolus non loquitur de ſecunda juſtificatione, ſed de prima: unde nihil facit contra nos.

VII. Rom. 8. 15. *Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater; ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus filii DEI.* Si Spiritus Sanctus nobis dat teſtimonium; ergo certi ſumus. CONTRA. I. Latini interpretes dicunt non intelligi per *teſtimonium Spiritûs Sancti* revelationem, ſed internam aliquam ſuavitatem, & pacem, quæ eſt tantùm ſignum conjecturale. II. Græci dicunt illud *teſtimonium Spir. S.* non eſſe, niſi motionem aliquam internam, quâ incitamur, ut dicamus, *Pater.*

An-

An autem illa motio interna ſit à Spiritu S. ſemper, non conſtat nobis fide divina; cùm etiã magni peccatores ex aliqua interna motione dicant, *Pater.*

VIII. Rom. 8. 38. *Certus ſum, quia neque mors &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei* CONTRA. S. Aug. ſic explicat, certum eſſe omnes prædeſtinatos in charitate perſeveraturos: de nullo autem in hac vita certi ſumus, an ſit prædeſtinatus. Amb. Hier. & alii per, *certus ſum*, intelligũt confidentiam, aut certitudinem conjecturalem.

IX. 1. Cor. 2. 12. *Accepimus Spiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ, à Deo donata ſunt nobis.* Inter hæc dona eſt juſtificatio. CONTRA. Apoſtolus non lo-

loquitur de particularibus donis, sed communibus, omnibus electis, utì est æterna gloria.

X. 1. Cor. 11. 28. *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* CONTRA. Non loquitur de certitudine fidei, sed morali, ex conscientiæ sufficiente discussione.

XI. 2. Cor. 1. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* CONTRA. Conscientiæ testimonium, magnam parit lætitiam, sed non facit certitudinē fidei de justificatione.

XII. Eph. 3. 12. *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem ejus.* Hæc inferunt certitudinem in eo, qui audacter accedit. CONTRA. Esse audacem, non est esse certum:

ſed certitudo gignit audaciam. Attamen Apoſtolus loquitur de veritate myſteriorum fidei, non verò de certitudine juſtitiæ noſtræ.

XIII. 1. Joan. 3. 14. *ſcimus, quoniam translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres* cap. 5. 18. *ſcimus quoniam ex Deo ſumus.* CONTRA. I. Per *ſcimus* non infertur certitudo, ſed cōjectura. II. Joannes loquitur quidem de ſe, non tamen ſecundùm fidei certitudinē, ſed confidenter. Vide de omnibus his Bell. hìc l. 3. c. 9.

*Corollarium.*

EX hoc colliges *ſcriptum eſſe,* neminem eſſe certum de ſua Juſtificatione ſinè revelatione: & *non eſſe ſcriptum,* nos ex imputata Juſtitia eſſe certos. CON-

## *CONTROVERSIA XXIII.*

De

# NECESSITATE BONORUM OPERUM.

*Catholica Doctrina.*

HOmini justo, rationis usum habenti, opera bona, sive præcepta, sive supererogationis sunt necessaria ad salutem, non solùm ratione præsētiæ, sed etiam efficientiæ: id est ità, ut sinè illis, fides salutem non efficiat.

*Acatholici quærunt?*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Hebr. 10. 36. *Patientia vobis necessaria est, ut facientes voluntatem Dei reportetis promissionem.* I. Patientia, utpotè actus virtutis, opus est, & quidem, juxta Jac. 1. 12. Opus perfe-

perfectum. II. Necessaria ratione efficientiæ, quia est necessaria, ut reportetis promissionē.

II. Philip. 2. 12. *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini* Ecce necessitas operum ratione efficientiæ.

III. 2. Cor. 7. 10. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Pœnitentia utique opus est, sed illa per tristitiam effecta, operatur salutem.

IV. Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quis autem servabit, quin faciat opera? Itèm Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esurivi enim &c.* Causa salvationis à Christo assigna-

gnatur, exhibuisse opera misericordiæ; omisisse verò, causa damnationis. Et quis negat ea esse ad salutem necessaria?

V. Jac. 1. 23. *Qui permanserit in ea* (id est lege) *non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* v. 22. *Estote factores verbi, & non auditores tātùm, fallentes vosmetipsos.* Jac. 2. 14. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum?* Quàm clarè!

VI. Jac. 2. 21. & *seq. Abraham Pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens filium suum super Altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides con-*

*sum-*

*summata est? &c. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm? similiter & Raab meretix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, & aliâ viâ ejiciens?* His nihil videtur addendum, eò quòd Aug. l. de fide & oper. c. 14. disertè affirmet, scopum Epist. S. Jac. (uti & Petri, Joã. & Judæ) esse docere fidem veram, atque Catholicam, contra hæresin tunc jam exortam, quæ docebat fidem sinè operibus ad salutem sufficere. Unde non mirum est, hanc Epist. nostris Acatholicis non placere.

*Acatholica Doctrina.*

OPera bona, non ratione efficientiæ, sed ratione præsentiæ sunt ad salutem necessaria;

ni-

nimirum ut per ea fides esse viva, & vera ostendatur. Hinc sola fides efficit salutem. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Rom. 43. *Credidit Abraham, & reputatum est illi ad Justitiam.* Jac. 2. 23. additur. *Et amicus Dei appellatus est.* Qui locus tantùm mentionem facit de fide, & est directè S. Jacobo contrarius; quanquam & ipse S. Paulus locum ad Rom. ex Gen. 15. 6. adducat. CONTRA. Et Paulus, & Jacobus loquuntur tàm de prima Justificatione, quâ ex impio quis fit justus, utì patet ex v. 5. quàm de secunda, quâ ex justò fit justior, ut patet ex v. 20. Undè hic sensus efficitur: Abraham & primò justificatus est per fidem, cùm pri-

mùm

mùm credidit Deo, & secundò justificatus est etiam per fidem, quà secundò Deo promittenti, & præcipienti credidit: à neutra tamen fide Paulus opera excludit, nisì quæ solùm naturæ viribus sinè fide, & gratia sunt facta; sed opera ex fide, & gratiâ facta, ad fidem in utraque justificatione exigit, in prima quidē ùt dispositiones, in secunda verò ùt merita. Sic ex S. Aug. aliisque Doctoribus explicat Gabr. Vasq. Tom. 2. in 1. 2. dis. 2. 10. cap. 8. apud Corn. à Lap. hìc.

II. Rom. 3. 27. *Exclusa est gloriatio tua; per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei.* Excluditur ab Apostolo omnis operum gloriatio. CONTRA. Eorum scilicet operum, quæ vel ve-

teris

teris ſunt legis, vel ſinè fide, & Chriſti gratia fiunt, gloriatio excluditur.

NOTA. Acatholicos pro hac Controverſia eoſdem textus adducere, quos in Contr. 21. & ſequente adducunt; quare hìc recenſere omitto.

*Corollarium.*

S*Criptum* ergo eſt, opera bona cum fide ad ſalutem neceſſaria eſſe, & *non ſcriptum eſt* ſolam fidem ſinè operibus ſalutem operari.

---

## *CONTROVERSIA XXIV.*

De

# BONORUM OPERUM. MERITO.

*Catholica Doctrina*

OPera Justorum verè bona, & justa sunt, ideóque verè, ac propriè sunt meritoria, non cujuscunque præmii, sed ipsius vitæ æternæ, secundùm justitiam ex condigno ob Dei promissionem *Acatholici quærunt*:

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Matth 5. 16 *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est*: Quod ipse Christus bonum dicit, potéstne esse malum? An putas; per peccata, & mala DEUS potest glorificari?

II. 2. Pet. 1. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis.* Cur ad bona opera Apostolus horta-

hortatur, si sunt peccata, & mala?

III. Matth. 5. 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis.* Et Matth. 20. 8. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Per hanc parabolam Aug. Hier. Greg. & alii apud Bell. hìc intelligunt remunerationem bonorum operum in Cælo. Si autem merces redditur bonis operibus; ergo verè sunt meritoria.

IV. 2. Tim. 4. 8. *Reposita est mihi corona Justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex &c.* Heb. 6. 10. *Non est injustus DEUS, ut obliviscatur operis vestri.* Hinc ex Justitia de condigno, ob promissionem à DEO factam, dari operibus bonis

nis vitam æternam docent Aug. Cypr. Chryſ. & alii apud Corn. à Lap. 2. Tim. 4. Licèt enim opera noſtra ſint DEI, tamen etiam ſunt noſtra; quia liberè facimus, quæ poſſemus non facere, ut ad Chriſtum cum Aug. dicere poſſimus: *Redde, quod promiſiſti; quia fecimus, quod juſſiſti.*

V. Jac. 1. 12. *Accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Ecce promiſſa operibus vita.

VI. 2. Theſſ. 1. 5. *Ut digni habeamini regnô Dei, pro quo & patimini.* En opera digna ſunt regnô Dei.

VII. Huc pertinent alia plura loca. Job. 1. 22. & 2. 3. Ubi Deus Jobum commendat. Pſal.

16. 3. Sap. 9. 12. Act. 10. 35. Pſ. 61. 13. Matth. 16. 27. Rom. 2. 6. & 7. & Matth. 25. 34. Quæ omnia vide apud Bell. hìc Tom. 3. de Juſtif. l. 5.

*Acatholicœ Doctrina.*

OPera bona Juſtorum ſunt verè mala, & peccata coram Deo: unde nec meritoria vitæ æternæ quæ ſolùm ex miſericordia datur. *Verùm.*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Pſ. 142. 2. *Non intres in judicium cum ſervo tuo; quia nòn juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Ergo opera hominis non poſſunt dici juſta. CONTRA. I. S. Aug. ſic explicat: hominem ex ſe verè nihil habere, quo juſtificetur, ſed ſolùm ex gratia Dei: ex qua etiam ha-

 bet,

bet, quòd possit bene operari. II. Aug. Greg. Hier. & alii ajunt Davidem loqui de venialibus, sinè quibus vix ullus vivit: quæ operibus bonis admixta, non efficiunt quidem, ut opera bona sint mala; faciunt tamen, ut homo puniri possit, & à præmio retardari.

II. Eccle. 7. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Si non potest facere bonum, quin peccet; ergo bonum, quod facit est peccatum. CONTRA. Sensus est juxta Hier. hìc: neminem tam bene operari, quin subinde etiam veniale quid committat

III. Isa. 64. 6. *Quasi pannus menstruatæ universæ Justitiæ nostræ.* Quàm clarè! CONTRA. I. Non

Non loquitur Isaias de Justis, sed de insignibus peccatoribus; nam dixit v. 5. *Ecce tu iratus es, & peccavimus.* II. Loquitur de sacrificis, Neomeniis &c. quæ prava intentione vitiabant, & tamen justitias vocabant.

IV. Ps. 102. 4. *Coronat te in misericordia, & miserationibus.* Ergo non ex merito. CONTRA. Juxta Aug. cum merito stat misericordia, quæ venialia remittit, nec prohibet meritis ex Justitia dari coronam. Ex misericordia deinde datur gratia, sinè qua bene non possumus operari.

V. Dan. 9. 18. *Non in justificationibus nostris prosternimus preces, ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* CON-

TRA. Daniel loquitur solùm de captivitatis tempore in quam populus ob peccata venerat; unde non poterat opera bona allegare.

VI. Luc. 17. 10. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus.* CONTRA. Hunc locum vide explicatum, Contr. XVI. de Consiliis.

VII. Rom. 6. 23. *Gratia autem DEI vita æterna* Quid clariùs? CONTRA. Dicitur gratia, quia gratìs habemus DEI gratiam, quâ possumus vitam æternam mereri.

VIII. Rom. 8. 18. *Non sunt condignæ passiones ad futuram gloriam.* CONTRA. Non est proportio, si & operum, & gloriæ substan-

ſtantiam attendamus; eſt tamen ſi charitatem, ex qua opera fiunt, conſideremus: ſicut peccatorum delicta minora ſunt, quàm gehenna, ſed ob DEI contemptum digna ſunt tantâ pœnâ.

IX. Tit. 3. 5. *Non ex operibus Juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit* Ergo fit Chriſti meritis injuria, ſi merita velimus prætendere. CONTRA. Si ſimul fatemur, nos hæc ipſa merita ex Chriſti gratia habere, non facimus ullam injuriam Chriſto.

*Corollarium.*

EX his videre eſt *ſcriptum eſſe*, Opera Juſtorum eſſe bona, & meritoria; ſed *non eſſe ſcriptum* ea eſſe peccata, & non meritoria.

## CONTROVERSIA XXV.

### De

# PURGATORIO.

### *Catholica Doctrina.*

PRæter Cœlum, & infernum eſt locus quidam, quem vocamus Purgatorium, in quo animæ, quæ in hac vita non plenè ſunt purgatæ, poſt eam purgantur. *Sed*

### UBI SCRIPTUM EST?

℞ I. 1 Cor 3. 10. & ſeq. *Fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat. Unuſquiſque autem videat, quomodo ſuperædificet, &c. ſiquis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam; uniuſcujusq; opus manifeſtum erit. Dies enim Do-*

*mini*

*mini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* In hoc Textu, *Fundamentum* eſt Chriſtus à Paulo, & aliis Apoſtolis annuntiatus: qui *ſuperædificant*, ſunt Doctores poſt Apoſtolos, & Chriſtiani: *aurum argentum, & lapides* ſunt, tum doctrina ſalutaris, tum opera bona: *lignum, fœnum ſtipulæ*, tum doctrina inutilis, & curioſa, tum peccata venialia aliis bonis operibus mixta. *Dies Domini*, eſt extremi judicii dies: *Ignis*, qui in die Domini uniuſcujuſque opus

pro-

probabit, eſt ſeverum DEI judicium probans, & examinans ea, quæ ſuperædificata ſunt: *Ignis*, per quem ſalvus erit, eſt pœna temporalis purgatoria, ad quam poſt mortem adjudicantur, qui ſuperædificant, *Fænum* &c. ſcilicet peccata venialia, aut inutiles Doctrinas cum bonis operibus miſcent, ut exurendis iis patiantur; ſalvi tamen poſt purgationem in igne præſtitam fiant. Sic apud Bell. hic l. 1. c. 6 exponunt Aug. Chryſ. Amb. Anſ. Th. Theod. Theoph. Cypr. & alii.

II. Matth. 5. 25. *Eſto conſentiens Adverſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te Adverſarius Judici, & Judex te tradat miniſtro, & in carcerem*

*mitta-*

*mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*: in hoc textu *Adversarius* est Dei lex, vel ipse Deus, qui nostris pravis desideriis adversatur. *Via* est præsens vita. *Judex* est Christus. *Tortor*, vel *Minister* est Dæmon. *Carcer* est locus Purgatorius. *Novissimus quadrans* sunt minuta peccata, quæ in Purgatorio plectuntur. Sic apud Bel. hic l. 1. c. 7. exponunt Cypr. Orig. Gil. Ambr. Hier. Aug. & alii.

*Acatholica Doctrina.*

POst hanc vitam nullum est Purgatorium; sed, si quod est, solùm habetur in hac vita & in morte: horror enim, & pœna mortis, si quid purgandum superest, purgat. *Sed*

UBI

## UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Pſ. 126. 3. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini.* Hìc inter *ſomnum, & hæreditatem*, id eſt mortem, & beatudinem nihil intercedit, quod purgatorium dici poſſit. CONTRA. S. Aug. exponit de generali reſurrectione, ubi non erit. Purgatorium.

II. Eccl. 9. 10. *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Hìc nullum in altero ſeculo remedium relinquitur peccatori. CONTRA. I. S. Hier. hìc explicat de iis, qui ob mortalia peccata deſcendunt ad Gehennam. II. S. Greg. l. 4. Dial c. 39.

ait hìc moneri omnes, ut in hac vita ſtudeāt ita vivere, quò illā à DEO indulgentiā mereantur, ut ubi ad Purgatorium venerint, juvari ſe à vivis permittat; ſe ipſós enim juvare non valebunt.

III. Eccle. 11. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit* Hìc non datur tertius locus. CONTRA. Sicut per Auſtrum intelligitur Gloria cæleſtis, ita etiam Purgatorium: nam qui ad Purgatorium mittitur, certus eſt de æterna ſalute. Vide Hier. hìc & Bern: apud Bell. c. 12. Eodem modo explicatur illud 2. Cor. 5. 10.

IV. Màtth. 25. 34. & 41. aliis dicetur, *Venite benedicti*, aliis; *ite maledicti.* Ubi hìc Purgato-

gatorium; CONTRA. Sermo est de extremo judicii die, ubi finem habebit Purgatorium.

V. Luc. 23. 43. Latroni dictum est. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ergo is non habuit Purgatorium. Ità Neque negamus posse hominem sic vivere, & tam multa patienter tolerare, ut sinè Purgatorio Cœlum petat.

VI. 2. Cor. 5. 1. *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in Cœlis* Ergo rectâ à morte ibunt pii ad Cœlum. CONTRA. Apostolus solùm dicere intendit, Cœlum non patere ante mortem.

VII. Apoc. 14. 13. *Beati mortui,*

*tui, qui in Domino moriuntur: amodo jam dicit Spiritus, ut requiſcant à laboribus ſuis.* Si omnes pii poſt mortem requieſcunt, ergo non torquentur. CONTRA. I Anſ. explicat de extremo Judicii die. II. Rich. à S. Vict. & Haymo explicant de viris perfectis,& Martyribus, qui nihil purgandum ſecum ex hac vita efferunt. Vide Bell. hìc l. 1. c. 12.

*Corollarium.*

ERgò *ſcriptum eſt* Purgatorium eſſe, & *non ſcriptum eſt* non eſſe.

## *CONTROVERSIA XXVI.*
## De
## SUFFRAGIIS PRO DEFUNCTIS.

*Catholica Doctrina.*

ANimæ in purgatorio detentæ possunt vivorum suffragiis, nimirum sacrificio Missæ, Oratione, Eleemosynis, Jejuniis, Peregrinationibus, & aliis operibus pœnalibus, & satsfactoriis juvari. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

R. L. 1. Mach. 12. 46. (Quem librum Ecclesia, & Conc. Cartag. 3. Can. 47. Aug. l. 18. de Civit. DEI. c. 36. pro Canonico agnoscunt) *Sancta, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis solvantur;* & ibidem miserat Judas Jerosolymam, duodecim millia drachmas argenti, in sacrificia pro mortuis expendenda. In Cœlo autem Defuncti precibus, & sacrificiis non egent: In Inferno iis non prosunt,

ſunt, ergo ſermo eſt de animabus in Purgatorio exiſtentibus.

II. Tob. 4. 18. *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.* Hic locus à S. Chryſ. apud Bell. hìc c. 3. explicatur de eleemoſynis in ſolatium Defunctorum.

III. 1. Reg. 31. 13. Viri Jabes Galaad *tulerunt oſſa* Saul, & Jonathæ, *& ſepelierunt, & jejunaverunt ſeptem diebus.* 2. Reg. 1. 12. *David, omneſque viri, qui erant cum eo, planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt uſque ad veſperam ſuper Saul.* Nec jejunavit David ſolùm in ſignum luctûs; nam pro filiolo ſuo ægroto quidem jejunavit, non verò pro mortuo (ubi tamen luctus ſolet

eſſe

esse maximus ] quia eum ut innocentem sciebat suffragiis non egere. Vide Bell. hìc lib. 1. cap. 3.

IV. Eccli. 7. 37. *Mortuo non prohibeas gratiam.* Quæ autem alia gratia possit mortuo exhiberi, quàm ut suffragiis juvetur?

*Acatholica Doctrina.*

DEfunctis non prosunt quidquam suffragia vivorum. *Sed* UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Eccle. 9. 5. *Viventes sciunt se morituros: mortui autem nihil noverunt ampliùs, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum.* CONTRA. Sapiens loquitur de bonis hujus vitæ? quasi dicat mortuos nil scire, quid agatur de rebus, quas reliquerunt, nec posse illos propria actione uti ad

suam

ſuam liberationem, ſicut poterant ante per diſpoſitionem. Vide Bell hic l. 2. c. 15.

II. Gal. 6. 5. *Unuſquiſque onus ſuum portabit.* Hæc explicat Hier. de altera vita, in qua nemo ab altero poſſit juvari. CONTRA. Hier. vel intelligendus de iis, quia cum mortali decedunt, vel de extremo Judicii die, quãdo ceſſante Purgatorio, etiam ceſſabunt ſuffragia pro Defunctis: Nam is ipſe graviter invectus in Vigilantium, qui negavit poſt mortem poſſe precibus vivorum, quemquam Defunctorum juvari.

*Corollarium.*

S*Criptum ergò eſt* poſſe vivorum Suffragiis Defunctos juvari, *non ſcriptum eſt*, non poſſe juvari.

*CON-*

# CONTROVERSIA XXVII.

## De

# CULTU SS.

### *Catholica Doctrina.*

ANgeli, & Sancti à Pontifice, & Ecclesia Canonizati possunt publicè; non Canonizati verò privatim à nobis coli, non Latriâ, quæ soli DEO convenit, sed Dulia, qui medius est inter cultum Latriæ, & Civilem. Sanctissima verò Humanitas Christi, & B. V. ob majorem excellentiam, quàm habeant alii SS. cultu Hyperduliæ.

*Acatholici quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Psal. 98. 5. *Adorate scabellum pedum ejus;* Id est Arcam Testamenti, *quoniam sanctum est:*

Si

Si Arca coli potuit, quia ſancta, cur non etiam Angeli, & Sancti?

II. Num. 22. 31. *Balaam vidit Angelum ſtantem in via, adoravitque eum pronus in terram.* Et Joſ. 5. 14. Cùm Joſue audiit virum ante ſe ſtantem eſſe Principem exercitûs Domini, vel Angelum, *cecidit pronus in terram, & adoravit.* Hæc adoratio non poteſt dici cultus Latriæ, nec cultus merè civilis; ergò Duliæ.

III. 1. Reg. 28. 14. *Intellexit Saul. quòd Samuel,* id eſt Anima ejus ſuſcitata *eſſet, & inclinavit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adoravit.* Non poteſt dici cultu civili adoráſſe, quia is Defunctis non convenit; ergo Duliæ.

*Acatholica Doctrina.*

Nec

NEc Angeli, nec homines Defuncti possunt ullo modo à vivis coli. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Deut. 6. 13. *Dominum DEUM tuum timebis, & illi soli servies;* Servire autem est colere, ergò non potest alteri, quàm Deo, tribui. CONTRA. Ex Græco *latreusis* ostenditur per *servire* intelligi cultum Latriæ.

II. 1. Tim: 1. 17. *Soli DEO honor, & gloria.* CONTRA. Non omnis, sed certus, id est Latria.

III. Matth. 4. 10. Diabolus à Christo tantùm petiit juxta Græcum inclinationem, & tamen Christus negavit, cùm soli DEO debeatur. CONTRA. Diabolus petiit inclinationem Latriæ: undè Latinus Textus dicit: *si adoraveris,*

IV.

IV. Gal. 4. 8. Exprobatur Galatis: *Iis, qui non ſunt Dii, ſerviebatis.* CONTRA. *Servire* ſumitur hìc ab Apoſtolo pro Latria, utì contextus probat.

V. Act. 10. 26 Petrus prohibuit Cornelium ſe adorare, Item Act. 14. 14. Paulus, & Barnabas vetuerunt ſibi ſacrificari. Item Apoc. 19. 10. Joannes ſe adorari inhibuit. CONTRA. Prohibuerunt cultum Latriæ, ſoli DEO debitum.

*Corollarium.*

ECce *ſcriptum eſt* Angelos, & Sanctos poſſe coli & *non ſcriptùm* non poſſe coli.

## CONTROVERSIA XXVIII.
## De
## SS. INVOCATIONE.

*Catholica Doctrina.*

SAncti, ſive Angeli, ſive Homines, piè, & utiliter à viventibus invocantur; non ut ipſi ex ſe nobis aliquid conferant, ſed pro nobis orent, & per Chriſtum apud DEUM nobis, quod petimus, impetrent. *Acatholici quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Gen. 48. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Hìc apertè Jacob Angelos invocavit.

II. Exod. 32. 13. *Recordare Abraham, Iſaac & Iſrael ſervorum tuorum.* Hìc Moyſes non quidem expreſsè invocat Abraham &c. quia ante Chriſti mortem non erant in Cœlo, ſed tamen eorum merita apud DEUM allegat.

III.

III. 1. Reg. 7. 8. Invocant filii Israel Samuelem; *Ne cesses pro nobis ad Dominum DEUM nostrum clamare, ut salvet nos de manu Philistinorum:* Job. 42. 8. *Job servus meus orabit pro vobis.* Rom. 15. 30. *Obsecro vos fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad DEUM.* Si licuit viventes DEI amicos invocare; cur non licebit eos cum Deo regnantes in Cælo invocare? An quia ipsi juvare nolunt? ast majore sunt charitate præditi, quàm antè. An quia nõ possunt? Cur non possint in Cœlo, quod potuerunt in terris? An quia non sciunt, quid oremus? Unde sciunt Angeli peccatoris pœnitentiam, de qua gadent? Luc. 15. 10. An quia

Deo fit injuria, ſi alius quàm ipſe invocetur? Sic neque viventes licebit invocare.

*Acatholica Doctrina.*

INutile, imò illicitum eſt Sanctos, ſive Angelos, ſive Homines invocare, ut pro nobis orent. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Rom. 10. 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Viden? nemo invocandus, niſi in quem credimus, qui ſolus eſt DEUS. CONTRA. Ergo nec viventes licebit invocare, nam etiam in illos uon credimus. Apoſtolus autem loquitur de DEO, quem nemo poſſit invocare, nisì in eum credat.

II. 1. Tim. 4. 5. *Unus medi-*

*ator*

*ator est DEI, & hominum, Homo Christus JEsus.* Ergò invocando SS. pro mediatoribus, injuria fit Christo. CONTRA. Sic nec vivorum preces essent petendæ. Deinde non rogamus sanctos ut vice Christi fungantur apud DEUM: sed ut precibus suis juvent, quò faciliùs per Christũ, quod petimus, impetremus. Quæ hìc fiat Christo injuria?

III. 3. Reg. 8. 39. *Tu nôsti solus cor omnium;* Ergo etiam solus DEUS novit preces nostras, & non Sancti. CONTRA. DEUS solus propria virtute cor omnium novit: Sancti autem cognoscũt quid, & quantum à DEO ipsis manifestatur, sive visione beatifica, sive speciali revelatione.

IV. Luc. 11. 9. *Petite, & dabitur*

*bitur vobis* Joan. 16.23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Ex his ſequitur DEUM paratiſſimum eſſe nos juvare: quid ergo & Sancti ſunt invocandi? CONTRA. Quid ergo DEUS mſit ad Job amicos ejus? Job. 42. 8.

V Matth. 6. 9. Docet Chriſtus ſolùm Patrem Cœleſtem invacandum. CONTRA. Ergo nec Chriſtus, nec Spiritus Sanctus eſt invocandus. Deinde ibi Chriſtus non prohibet ſanctos invocare.

*Corollarium.*

SEquitur *ſcriptum eſſe* poſſe Sanctos invocari: *non* verò *ſcriptum eſſe* illicitum eſſe Sanctos invocare.

CON-

# CONTROVERSIA XXIX

## De SANCTORUM RELIQUIIS.

### *Catholica Doctrina.*

SAnctorum Reliquiæ piè, & fructuosè ab hominibus coli possunt. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. 4. Reg. 13. 21. *Cùm cadaver tetigisset ossa Elisæi, revixit homo.* Quo miraculo DEUS ostendit, quàm etiam grata sibi sint ossa suorum amicorum.

II. Matth. 9. 20. *Mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, tetigit* cum reverentia *fimbriam vestimenti ejus*, ut sanaretur. Act. 5. 15. Ad umbram S. Petri ponebant ægros, ut curarentur,

Act. 19. 12. *Super languidos deferebantur à corpore Pauli sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores.* Si verò impium esset Reliquias colere, nec Petrus, nec Paulus id permisissent.

*Acatholica Doctrina.*

IMpium est Sanctorum Rliquias aliquo cultu venerari. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Matth. 23. 29. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis Sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum.* Ergò non placet DEO honor, qui reliquiis exhibetur. CONTRA. Christus reprehendit eorum intentionem, vel quia faciebant, non ut honorarent Prophetas; sed ut ipsi viderentur

tur ab hominibus; vel quia ex pecunia injuſtè à Pauperibus, & Viduis, extorta ædificabant.

II. Deut. 34. 6. Abſcondit DEUS corpus Moyſi, ne Judæi illud colerent. CONTRA. Ne divinos illi honores exhiberent, ait S. Chryſ. hom. 5. in Matth. Vide Bell. hìc l. 2. c. 4.

*Corollarium.*

HInc patet *ſcriptum eſſe* piè coli Sanctorum Reliquias, *non* verò *ſcriptum eſſe* impiè coli.

---

## *CONTROVERSIA XXX.*

## De IMAGINIBUS. SANCTORUM.

*Catholica Doctrina.*

LIcet Sanctorum Imagines habere, & colere propter eos,

quos repræſentant, non tamen alia ratione. *Acatholici quærunt:*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Exod. 25. 18. Præcepit DEUS fieri duos Cherubim ſupra arcam, qui aliîs propitiatorium tegerent: atque hi cum arca colebantur.

II. Num. 21. 18. juſſit Dominus fieri Serpentem æneum, & poni pro ſigno; ut quicunque *percuſſus aſpexerit, vivat.* Hic aſpectus erat veneratio.

Si autem licuit colere in Imaginibus Angelos, & in Serpente æneo Chriſtum, [hujus enim figura fuit, Joan. 3. 14.] Cur non & eundem Chriſtum, & alios Sanctos in ſuis Imaginibus?

*Acatholica Doctrina.*

Ido-

IDololatria est colere Sanctorū Imagines. *Verum*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. Exod. 20. 4. Deut. 4. 16. Rom. 1. 23. & seq; Prohibetur cultus simulacrorum. CONTRA. Prohibentur simulacra cultu divino coli [prout Exod. 32. 1. dicebant ad Aaronem: (*surge, fac nobis DEOS*;) non vero in Imaginibus Sancti.

*Corollarium.*

S*Criptum est* ergo posse coli in Imaginibus Sanctos; è contra *non scriptum est* non posse coli.

---

*CONTROVERSIA XXXI.*

De

SACRAMENTIS.

*Catholica Doctrina.*

Sacra-

SAcramenta, vel ritus, vel ſigna externa, & ſenſibilia, quæ ex divina inſtitutione annexam habent promiſſionem gratiæ juſtificantis, ſunt numero ſeptem. *Verùm rogant Acatholici:*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. Iis in locis, quibus mox in ſequentibus Controverſiis ſingula Sacramenta oſtendentur, in ſacris literis fundari. Duo autem ſunt notanda.

I. Numerum *Septenarium* quidem in Scriptura non reperiri, ſicut nec numerũ, vel binarum, vel ternarium &c. Adverſariorũ: reperiri tamẽ nec plura, nec pauciora quàm ſeptem, quibus definitio Sacramenti in genere convenit; quod ſufficit.

II.

II. Neque hoc nomen, *Sacramentum*, Baptiſmo, & aliis attributum reperiri in Scriptura, niſi uni *Matrimonio*, quod tamen ipſimet Acatholici plerique negant eſſe Sacramentum: nihil tamen referre; cùm non ſit Controverſia de nomine.

*Acatholica Doctrina.*

VAria eſt: nam ſubinde unum, ſubinde duo, ſubinde tria, ſubinde etiã quatuor conſtituunt. Negant tamen ſemper, & conſtãter eſſe ſeptem. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

NULLIBI.

*Corollarrium per ſe.*

## CONTROVERSIA XXXIII.

## De

## BAPTISMO.

*Catho-*

*Catholica Doctrina.*

BAptiſmus, qui eſt Sacramentum regenerationis per aquã in verbo vitæ, eſt primum, & maximè neceſſarium Sacramentum, tanquam medium ad ſalutem. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Eph. 5. 26. *Ut illam ſanctificaret, mundans lavacro Aquæ in verbo vitæ.* Chryſ. Theod. Ambr. Anſ. & alii apud Cornel. à Lap. hic intelligunt Baptiſmum.

II. Joan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum DEI.* Hinc Concil. Trid. ſeſſ. 7. Can. 2. Sic decernit: *Si quis dixerit, Baptiſmum non eſſe neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.*

III. Matth. 28. 19. *Docete gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti* Mar. 16. 16. *Qui crediderit, & Baptizatus fuerit, salvus erit,* Vide Bell. de Sacr. in gen. l. 2. cap. 24. & hìc l. 1. c. 4.

*Acatholica Doctrina.*

LUtherani, & Calvinistæ in Baptismo, quoad substantiam, asserendo, & quòd sit Sacramentum à Christo institutum, non differunt à Doctrina Catholica: in ritibus verò, & ceremoniis, aliisque circa Baptismum sunt controversi; sed ea examinare non est hujus loci, nec nostri propositi, utì nec aliorum Hæreticorum errores excutere.

*Corollarium*

*Scriptum est* Baptiſmum eſſe Sacramentum ad ſalutem neceſſarium.

## CONTROVERSIA XXXIII.
De
# CONFIRMATIONE.
*Catholica Doctrina.*

COnfirmatio eſt Sacramentum, quô Baptizatis, impoſitione manuum Epiſcopalium, & Sacri Chriſmatis inunctione, infunditur Spiritus Sanctus, ut ad pugnam confirmentur. *Verùm*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Joa. 14. 16. item Joa. 15. 26. item Joan. 16. 8. promittit Chriſtus *Spiritum paraclitum*, qui conſoletur in adverſis, *Spiritum veritatis*, qui eos confirmet,

firmet, ut intrepidè de eo testimonium perhibeant, & audeant mundum arguere: qui sunt effectus Confirmationis; unde Act. 1. 8. ait Christus: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs Sancti in vos, & eritis mihi testes, &c.*

II. Act. 8. 15. 17. Postquam à Philippo in Samaria multi essent Baptizati, missi ad eos Petrus, & Joannes, *oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum: tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Itèm Act. 19. 6. Corinthi, *cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.*

III. Luc. 24. 49. *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.*

Ex

Ex his Scripturæ locis, quamquam disertis verbis non habeatur Confirmationis Institutio, tamen euidenter colligitur: nam ad Spiritûs Sancti gratiam communicandam non alio medio, quàm manuum impositione Apostoli sunt usi, (ecce ritus externus) adeo, ut etiam magnis itineribus Petrus, & Joan. Jerosolymis Samariam propterea proficiscerentur: & Spiritûs Sancti Infusio illam manuum impositionem mox sequebatur (ecce gratia promissa!)

I. Neque hoc ritu absque Christi mãdato usi fuisse credi possunt. Quodque hæc manuũ impositio alia sit, ab ea, quæ in Sacramento Ordinis adhibetur, patet, quia hæc omnibus Baptizatis

zatis fiebat, quorum pauci Ecclesiæ ministeriis applicabantur. Vide Bell. hìc l. 2. c. 2. & seq.

II. Neque urgeri possumus ad clara Scripturæ verba: nam nec profitemur omnia Fidei Catholicæ dogmata ex Scriptura clarè ostendi posse, nec necessarium est; utì Contro: 1. ostensum.

*Acatholica Doctrina.*

CONfirmatio non est Sacramentum, sed Ecclesiastica Ceremonia (sicut consecratio Aquæ) quà publica fit precatio pro Baptizatis, ut Spiritu S. illos gubernare DEUS velit. *Sed* UBI SCRIPTUM EST?

{ NULLIBI. }

*Corollarium per se.*

CON-

## CONTROVERSIA XXXIV.
### De
# EUCHARISTIA, ET PRÆSENTIA CORPORIS CHRISTI.

*Catholica Doctrina.*

EUchariſtia eſt Sacramentum, in quo poſt panis, & vini conſecrationem, Dominus noſter JESUS Chriſtus verus DEUS, & homo, verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium continetur. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. 1. Cor. 11. 23. ex Matth. 26. 26. *Ego enim accepi à Domino, quòd & tradidi vobis; quoniam Dominus JESUS, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit:*

*Acci-*

*Accipite, & mãducate: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationẽ. Similiter & Calicem, poſtquam cænavit, dicens: Hic; Calix novum Teſtamemtum eſt in meo Sanguine; hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem.* Nemo controvertit hoc Textu oſtendi Euchariſtiæ Inſtitutionem.

II. Præsẽtia realis Corporis Chriſti in Euchariſtia oſtenditur Verbis Dõmini apud Matth. 26. 26. Mar. 14. 22. Luc. 22. *Hoc eſt Corpus meum.* HOC, id eſt res ſub ſpeciebus panis cõtenta; EST, id eſt non ſignificat, ſed verè, & propriè eſt, CORPUS MEUM, id eſt non Corpus myſticum, nec Corporis mei ſignum, ſive efficax, ſive inefficax, ſed hoc ipſum verum, & proprium Corpus, quod

pro vobis tradetur in mortem. Sic omnes SS. Patres, & Ecclesia à prima Institutione usque huc intellexerunt, ùt videre est apud Bell. hìc l. 1. c. 10. & lib. 2. toto.

*Acatholica Doctrina.*

IN Eucharistia non est verè, & realiter præsens Corpus Christi, sed vel figuratè tantùm, *ùt ait Calvinus*, vel in sumptione tantùm, *ùt ajunt Lutherani*. *Sed* UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Contendunt hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, figuratè esse intelligenda. CONTRA. Communis regula explicandæ Scripturæ, à SS. PP. datur; ut, nisi ab alia Scriptura, articulo aliquo Fidei, aut à communi totius Ecclesiæ explicatione cogamur

gamur, proprium verborum ſenſum nunquam dimittamus.

II. Pſ. 113. 3. *DEUS autem noſter in Cælo* Iſ. 66. 1. *Cælum ſedes mea:* Ergo non eſt in templo, vel Altari per Sacramentum. CONTRA. In Cœlo quidem gloriam Regni ſui manifeſtat, tamen extra illud ubique eſt, & Teſte Apoſtolo Act. 17. 27. *Non longè ab unoquoque noſtrum.*

III. Matth. 15. 17. *Omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Chriſtus non emittitur in ſeceſſum; ergo nec in os intrat. CONTRA. Sicut ante conſecrationem ſub ſpeciebus ſine ullo ſui detrimento non erat Chriſtus; ità corruptis in ſtomacho ſpeciebus ſinè ulla ſui læſione, deſinit ibi Cor-

bus

pus Christi adesse. In hoc Textu autem non loquitur Christus de omni, quod comeditur, sed qnod ad nutriendum Corpus sumitur: Eucharistia autem non ad Corpus, sed animam nutriendam sumitur.

IV. Matth. 24. 23. *Si quis vobis dixerit: ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.* Ergo nec credendum est esse in hoc, vel illo Altari. CONTRA. Loquitur de Pseudo-Christis, ut contextus probat.

V. Matth. 26. 11. *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis.* CONTRA. Loquitur Christus de præsentia sua corporali, & visibili, & eo statu, in quo ab hominibus aliquid possit utilitatis recipere.

VI. Mar. 16. 19. *Assumptus est in Cœlum, & sedet à dextris DEI*; ergo si est in Eucharistia, debebit Cœlum deserere. CONTRA. Non est necesse eum Cœlum deserere, ut sit in Eucharistia; sicut quando Act. 9. 5. Paulo apparuit, Cœlum non deseruit: sed per Omnipotentiam suam potest se in pluribus locis sistere.

VII. Luc. 24 39. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* In Eucharistia autem nec videri, nec palpari potest: ergo non est credendus ibi esse. CONTRA. Affirmativè bene sic concluditur: *hoc palpatur, & videtur: ergo corpus, & præsens est.* Non verò negativè: *hoc non palpatur nec videtur;*

*tur; ergo nec Corpus, nec præsens est.* Nonne Luc. 4. 30. *Transiens per medium illorum,* qui de Monte præcipitare volebant, *ibat,* ut non fuerit visus, ergo nec Corpus, nec præsens erat? quis hoc sanè asserat?

VIII. Joan. 6. 64. *Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam.* Hic clarè dicitur Christi Corpus non corporaliter manducandum. CONTRA. Non loquitur Christus de carne sua: sed de carnali intelligentia Capharnaitarũ, qui putabãt carnem Christi mãducãdã ad modũ alterius carnis. Nam sibi contradiceret, dum ait v. 54. *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis &c. non habebitis vitam.* Hoc

autem

autem verbum *Manducare* est propriè sumendum.

IX. Joan. 12. 26. *Ubi sum ego, illic & minister meus erit.* Sed Sancti non sunt in Eucharistia; ergo neque Christus. CONTRA. Non dicit: *ubicumque sum*; sed *ubi sum*. Pro quo satis est, si alicubi cum eo sint Sancti; nempe in Regno gloriæ, de quo hìc loquitur.

X. Joan. 16. 28. *Relinquo Mundum, & vado ad Patrem.* CONTRA. Intelligendum est, quoad conversationem humanam, quod non impedit alium præsentiæ modum.

XI. Act. 17. 24. *DEUS non in manufactis templis habitat.* CONTRA. Similia loca propriè intelliguntur de Divinitate, quæ licèt

ſit ubique; tamen non indiget loco, quam indigentiam hoc verbum *habitare* infert.

XII. 1. Cor. 10. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* ſi eſt panis; ergo non eſt Corpus Chriſti. CONTRA. I. Vocatur Panis juxta externam apparentiam ſpecierum, quod Scripturæ eſt familiare. II. Phraſi Hebraica, omnis cibus generatim vocatur panis.

XIII. Coloſſ. 3. 1. *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera DEI ſedens.* Ergo non eſt quærendus in Euchariſtia. CONTRA. Non intelligit elevationem ad locum corporalem, ſed abſtractionem à rebus terrenis, & curis hujus vitæ ad DEUM: alio-

alioqui Aſtrologi omnium hominum piiſſimi eſſent, qui ſemper & animô, & oculis inter ſidera verſantur. Vid. Bell. hìc l. 1. c. 14.

*Corollarium.*

NOnne *ſcriptum eſt*: in Euchariſtia verè eſſe Corpus Chriſti? contrarium verò *non eſt ſcriptum?*

## CONTROVERSIA XXXV.

### De PRÆSENTIA CORPORIS CHRISTI EXTRA USUM.

*Catholica Doctrina.*

COnſecratione peracta, Corpus Chriſti ſub ſpecie panis exiſtens, verè & propriè eſt Sacramentum, ſive ſumatur, ſi-

ve in pixide asservetur. *Quærunt Acatholici.*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Matth. 26. 26. *Hoc est Corpus meum.* Hæc verba mox, ubi à Christo prolata sunt, fuerunt vera: sed fuerunt ante manducationem prolata: ergo etiam antè manducationem fuerunt vera, & verè sub speciebus existit Sacramentum Corporis, & Sangvinis Christi, etiam ante manducationẽ: hinc Aug. dicit Tr. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

II. 1. Cor 10. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Hìc apertè Paulus dicit prìus

panem,

panem, & vinum consecrari, quàm frangatur, & distribuatur. Hinc Chrys. in illum locum ait: *Quid est in Calice? quod ex latere Christi fluxit.* Vide Bell. hìc l. 4. c. 2. Et malè à tota Ecclesia, & omnibus Patribus diceretur *Sacramentum Altaris?* si tantummodo manducando fieret Sacramentum; sed dici deberet, Sacramentum gutturis, vel manducationis.

*Acatholica Doctrina.*

CORpus Christi propriè, & verè non est in Eucharistia, nisì dum sumitur. *Verum.*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Matth. 26. 26. *Accepit JEsus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: accipite, & comedite. Hoc*

*eſt corpus meum*. Hìc Dominus priùs manducationem imperat, quàm conſecret: ergo ſicut diſtributionem immediatè ſecuta eſt verborum prolatio; ità & converſio panis in Chriſti Corpus. CONTRA. Licèt Evangeliſta priùs narret diſtributionem, & manducationem, quàm verborum prolationem; non tamen credendum eſt hoc ordine peracta; quia Verba conſecrationis continent rationem, quare deberent manducare hunc panem Euchariſticum.

II. Sacramenta pendent à divina inſtitutione: ſed Dominus inſtituit Euchariſtiam, ut manducaretur, non autem ut in pixide ſervaretur; ergo non eſt Sacramentum; niſi cùm manducatur.

catur. CONTRA. Dominus non jussit, ut continuò peracta consecratione manducaretur: sed jussit consecrari ad eum finem, ut manducaretur; quod fit, licèt in pixide servetur. Deinde non prohibuit servari in pixide, & Altari, ut tempore opportuno manducetur.

*Corollarium.*

ERgo *scriptum est* etiam extra usum esse Corpus Christi sub speciebus, & *non scriptum est*, non esse, nisì sumatur.

---

*CONTROVERSIA XXXVI.*

De

# COMMUNIONE SUB UNA SPECIE.

*Catholica Doctrina.*

IN qualibet ſpecie invenitur tota eſſentia, & ratio Sacramenti; ità ut Hoſtia conſecrata, ſicut in templis aſſervatur, & à Laicis ſumitur, non dici poſſit dimidiatum, ſed dici debeat propriè integrum Sacramentum Euchariſtiæ: unde non eſt neceſſe ſub utraque ſpecie, ſed ſufficit ſub una communicare. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Ex Matth. 26. 26. *Hoc eſt Corpus meum*; certum eſt Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia: & ex Rom. 6. 9. *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur*, certum eſt non eſſe Corpus exanimum, & exangue, ſed vivũ. Ergo ſi ſub ſpecie panis eſt Corpus vivum Chriſti, eſt totus Chriſtus.

II. Joan. 6. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* v. 50. *Hic eſt panis de Cælo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur.* v. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* v. 58. *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Quos Textus ex c. 6. Joan. plerique Patres, & Eccleſia intelligunt de Euchariſtia, ùt videre eſt apud Bell. hìc l. 1. c. 5. Atqui in his Textibus Chriſtus oſtendit ad ſalutem ſufficere unam ſpeciem, cùm non faciat mentionem alterius, & tamen promittit vitam æternam. Vide Bell. hìc l. 4. c. 24.

III. 1. Cor. 11. 27. *Quicunque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè &c.*

Hìc

Hic clarè loquitur Apostolus non de necessaria sumptione utriusque speciei, sed de alterutrius, quod ex particula, *vel*, ostenditur.

*Acatholica Doctrina.*

CHristi præceptum est sub utraque specie communnicate, neque in una specie totum habetur Sacramentum. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Joan. 6. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis: & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hæc conjunctio *nisi* significat præceptum. CONTRA. I. Præcipitur res, id est Sacramentum sumendum, non modus sumendi. Jam autem sub una specie dum sumitur Corpus vivum, per

per concomitantiam ſumitur & Sanguis. II. Particula *&* in Scriptura ſæpè ſumitur disjunctivè pro *vel*; ut ſit ſenſus, nisì vel manducaveritis, vel biberitis, &c. II. S. Aug. dicit multa in Scripturis eſſe præcepta, quæ non per ſingulos, ſed aliquos ſunt implenda inter quæ eſt illud Gen. 1. 28. *Creſcite, & multiplicamini*, & hoc, de quo agimus.

II. Matth. 26. 27. *Bibite ex hoc omnes*. CONTRA. *Omnes* non ſumitur univerſaliſſimè pro omnibus Hominibus, alioquin & Turcis, & Judæis, & Ethnicis, & infantibus, & abſtemiis oporteret dare Cálicem bibendum: ſed ſumitur pro ſolis Apoſtolis ibi præſentibus, quibus nimirum & Calicem dedit, & de quibus

mox

mox dictum; *Biberunt ex eo omnes*, Cur autem non dixerit; manducate ex hoc omnes, & tamen dixerit, *bibite ex eo omnes*; ratio est, quia non dabat unum panem ex quo omnes manducarent, sed in tot partes fractũ, & divisum, quot illi erant: e contra dedit unum Calicem, ex quo omnes biberent; hinc monebat ità ex uno, & eodem Calice bibendum à singulis, ut sufficeret pro omnibus.

III. Luc. 22. 19. *Hoc facite.* Hìc præcepit, ut Apostoli eadem facerent, quæ ipse circa Eucharistiam fecerat: quid fecit? consecravit, sumpsit, & distribuit præsentibus utrámque speciem. CONTRA. Lucas hæc verba solùm ponit post datum

Sacra-

Sacramentum ſub ſpecie panis, neque poſt Calicem porrectum repetiit: unde colligitur non voluiſſe Chriſtum omnibus Calicem exhiberi, ùt neceſſarium ad ſalutem. Nec probat quidquam particula, *ſimiliter & Calicem &c.* nam illud *ſimiliter* refertur ad *accepit*, ut ſit ſenſus: ſicut accepit panem ità accepit Calicem.

IV. 1. Cor. 11. 23. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis* &c. Hæc eſt Traditio Apoſtolica, quâ tradidit utramq; ſpeciem eſſe ſumendã. CONTRA. *Tradidi* hìc non ſignificat *mandavi*, ſed *expoſui* vobis Hiſtoriam de Sacramenti inſtitutione.

V. 5. 25. Apoſtolus eti m ad Calicem apponit præceptum:

*Hoc*

*Hoc facite*; ficut ad panem. CONTRA. Ad panem apponit abſolutè; ad Calicem verò cum conditione; *Hoc facite, quotieſcumque bibetis*. Vide Bell. hìc lib. 4. cap. 25.

*Corollarium.*

AN *ſcriptum eſt* eſſe præceptam Communionem ſub utraque ſpecie? an verò *ſcriptum eſt* Communionem ſub una ſufficere ad ſalutem?

---

*CONTROVERSIA XXXVII.*

De

SACRIFICIO MISSÆ.

*Catholica Doctrina.*

MIſſa eſt Sacrificium, in quo DEO verè ac propriè offertur Corpus, & Sanguis Chriſti, ſub ſpecie viſibili panis & vini, modò

modô incruentô, quod ipſe cruentò obtulit in Cruce. *Verùm.*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Luc, 22. 19. & 1. Cor. 11. 24. *Hoc facite in meam commemorationem.* His verbis mandavit Apoſtolis, & toti Eccleſiæ ad ſui memoriam *facere hoc*, quod ipſe tunc in Cœna faciebat, de quo ne Acatholici quidem dubitant: ſed Chriſtus in ultima Cœna ſe ipſum ſub ſpecie panis, & vini, DEO Patri obtulit. Nam præterquam quòd *facere* tam in lingua Syriaca, vel Hebraica, quàm Latina ſumatur pro *ſacrificare*; ſic Lev. 15. 15. dicitur: *Faciet unum pro peccato*, Et 3. Reg. 18. 23. ait Elias: *Et ego faciam bovem alterum*: hæc verba, quæ Lu-

cas

cas dicit, *quod pro vobis datur, & qui pro vobis funditur*, aut quæ Matth. 26 28. ponit, *qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, aut quæ Paulus, 1. Cor. 10. 16. ait; *panis, quem frangimus*, hæc inquam verba, *datur, funditur, effundetur, frangimus*, non ſignificant Apoſtolis dari ad manducandum, vel fundi ad bibendum, ſed ſacrificari, vel offerri pro Apoſtolis, nam dicitur *pro vobis:* neq; pro ſolis Apoſtolis, ſed pro omnibus nam dicitur: *pro multis*, Sic intelligunt SS. PP. apud Bell. hìc l. 1. c. 12.

II. Pſal. 109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, qui Gen. 14. 1. 8. *Proferens panem, & vinum*

[erat

*[erat enim Sacerdos DEI altissimi] benedixit ei.* Quæ David vaticinatus est de Christi incruento sacrificio, quod tùm ipse in Cœna ultima obtulit, tùm per Sacerdotes in Ecclesia sua quotidie offert, usque ad sæculi consummationem. Sic accipiunt Patres apud Bell. hìc l. 1. c. 6.

III. Malach. 1. 11. *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Hæc utique non intelliguntur de gentibus Idololatris, sed conversis ad Christum? quæ autem illa oblatio munda, ut vera sit Prophetia, nisì Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi incruentum. Sic SS. Patres accipiunt apud Bell. hìc l. 1. c. 10.

*Aca-*

*Acatholica Doctrina.*

IN Missa DEO præter orationes nihil offertur à nobis, sed potiùs nobis offert DEUS Sacramentum: ut Catholicorum Missá non Sacrificium, sed abominatio sit dicenda. *Sic in variis locis pud Luther. Verum*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Matth 26. 26. *Accipite, & comedite.* His verbis Christus instituit Sacramentum, & non Sacrificium, sèque nobis offert, non autem vult à nobis se sibi offerri. CONTRA, per illa *Hoc facite,* instituit Sacrificium: deinde sub diversis rationibus idē Corpus, & Sanguinem Christi nos à Christo accipimus, & cum Christo DEO Patri incruentè offerimus, quod non repugnat.

II.

II. Christus suum Corpus & Sanguinem Apostolis dstribuit, non Patri obtulit. CONTRA. Cōtrarium modò in Doctrina Catholica ostensum.

III. Matth. 16 29. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.* His verbis videtur prohibere sacrificium. CONTRA. Hæc intelligenda esse de Calice, quem dedit bibendum post Cœnam Agni, antequam institueret Sacramentum, ostendit Lucas 22. 18. & ex eo Hieron. Beda, & alii apud Corn. à Lap. hic.

IV. Ps. 109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Solus, & unus Christus, est Sacerdos, qui panem & vinum offerat in æternum; ergo non sunt alii Sacerdotes

ut

ut ſucceſſores ſubſtituendi, qui offerant. CONTRA. Quòd Chriſtus ſit *Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech in æternum*, non impedit quo minùs ipſe per alios etiam Sacerdotes, ùt Miniſtros ſuos in hoc Sacerdotio poſſit offerre panem, & vinum.

V Joan. 10. 30. *Conſummatum eſt* His ſignificat Chriſtus uno Sacrificio perfectum eſſe quidquid ad ſalutem noſtram neceſſarium erat, nec opus alio Sacrificio. CONTRA. His verbis ſignificat conſummatum eſſe cruentum Sacrificium, & pœnas, quas in carne paſſurus erat. Sic Aug. Cyr. Theoph. & alii exponunt apud Bell. hìc l. 1. c. 25.

*Corollarium.*

Sequi-

SEquitur *scriptum esse*, in Ecclesia esse Sacrificium incruentum Corporis, & Sanguinis Christi; *non verò esse scriptum* contrarium.

---

## *CONTROVERSIA XXXVIII.*
## De
# EXTREMA UNCTIONE

*Catholica Doctrina.*

EXtrema unctio, est verè, & propriè dictum Sacramentum, quó cœlestis virtus ad salutem tum Animæ, tum Corporis ægrotis applicetur. *Verùm*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. Jac 5. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum, Oleô in nomine Domini:*

*& ora-*

*& oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Hìc habemus, quæ tria ad Sacramenti eſſentiam requiruntur, Symbolum externum, *ungentes eum Oleô*, promiſſionem gratiæ, *alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis &c.* Inſtitutionem ex eo, quòd Apoſtolus tam fidenter promittat, & tradat. Vide Bell. hìc l. 2. c. 2.

*Acatholicæ Doctrinæ.*

EXtrema Unctio, non eſt Sacramentum. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

NULLIBI.

Hinc I. ſemper negant hanc Jacobi Epiſtolam eſſe Canonicam, ſed Eccleſia tota, & SS. Patres

Patres pro Canonica acceperũt.
II. Quærunt ubi scriptum est S. Jacobum hæc ita accepisse à Domino? Catholici vicissim quærũt, ubi scriptum est eum non accepisse? Et cui plùs credendum, Apostolo id tam constanter asserenti, & tradenti, an Acatholicis?

*Corollarium per se.*

## *CONTROVERSIA XXXIX.*

## De ORDINE.

*Catholica Doctrina.*

ORdo est verè, ac propriè dictum Sacramentum, quô singularis gratia, & potestas spiritualis quibusdã traditur, ut munus in Ecclesia ex professo gerãt. *Sed* UBI SCRIPTUM EST?

R. I. Act. 6. 6. & 13. 3. &c.

Habetur *Impositio manum*, quâ & Diaconos, & Episcopos ordinârunt. Nec manuum impositio solùm ad orationem ab Apostolis, sed ad ordinandum Ecclesiæ Ministros adhibebatur. Et hoc est Symbolum externum ad Sacramēti essentiam, requisitum.

II. 1. Tim. 4. 14. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Et 2. Tim. 1. 6. *Admoneo te* &c ostenditur promissio gratiæ, quæ est secundum requisitum.

III. Act. 13. 2. *Segregate mihi Saulum, & Barnabam* &c. Act. 20. 28. *In quovos Spiritus Sanctus posuit Episcopos.* Ex hoc ostenditur mandatum, & institutio, quod tertium est requi-

situm

ſitum. Vid. Bell. hìc l. 1. c. 2. & apud Cornel. à Lap. Chryſ. Theophyl. &c.

*Acatholica Doctrina.*

ORdo non eſt Sacramentū. *Sed* UBI SCRIPTUM EST?

NULLIBI.

Sed tamen opponunt Exemplum Chriſti, qui Apoſtolis non impoſuerit manus, cùm eos Sacerdotes ordinavit. CONTRA. I. Ubi ſcriptum eſt Chriſtum Apoſtolis manus non impoſuiſſe? II. Licèt Chriſtus non impoſuiſſet manus, nihil probat contra Sacramentum; quia Chriſtus Sacramenti auctor non erat ità alligatus Sacramētis, ſed poterat effectum Sacramenti ſine Sacramentodare.

## *CONTROVERSIA XL.*

### De MATRIMONIO.

*Catholica Doctrina.*

MAtrimonium est verè & propriè dictum Sacramentum, ad individuam vitæ consvetudinem inter conjuges transigendam, divinitus institutum: *Sed* UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Eph. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Neque censendus est solùm loqui Apostolus de Matrimonio, ùt est contractus, & prout fuit ab initio Mundi; quia in omnibus comparat conjunctioni, quæ est inter Christum, & Ecclesiam. Et sic

ſic explicant Amb. Hier. Chryſ. Aug. & alii; hunc Apoſtoli Textũ cum prioribus illius capitis, apud Bell. hìc l. 1, c. 2. Et hoc eſt ſymbolum externum.

II. 1. Tim. 2. 15. *Salvabitur per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide* &c. vel ſi aliis peccatis gratiam non impediat. Et hæc eſt promſſio gratiæ.

III. Ex his Apoſtolis verbis tam conſtanter aſſeverantis colligitur inſtitutio, quam à Chriſto, vel aliis Apoſtolis acceperit: ſecùs enim tam confidenter Apoſtolus nunquam aſſeruiſſet.

*Acatholica Doctrina.*

MAtrimoniũ non eſt Sacramẽtũ à Chriſto inſtitutum. *Sed* UBI SCRIPTUM EST?

Nulli-

NULLIBI.

*Corollarium per se.*

*CONTROVERSIA XLI.*

De

# POENITENTIA.

*Catholica Doctrina.*

Pœnitentia eſt verè, & propriè dictum Sacramentum, in quo Sacerdotalis abſolutio à peccatis, quæ deteſtatus, ritéque confeſſus quis fuerit, impenditur. *Verùm.*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. Joan. 20. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* His verbis tria ad Sacramentum requiſita oſtenduntur. I. Ritus, ſeu Symbolum exter-

num

num istis verbis: *quorum remiseritis, & quorum retinueritis*, declaratur; peccata enim nec remitti, nec retineri ulli possunt, nisì qui testetur se habere; & nemo ea remittere, aut retinere creditur; nisì id faciat signo aliquo externo. Ergo hìc est ritus pœnitentis, & absolventis. II. His ipsis verbis clarè apparet institutio, quibus Christus potestatem tribuit. III. Gratiæ promissio iis verbis, *remituntur eis*, exprimitur. Vide Bell. hìc l. 1. c. 10.

*Acatholica Doctrina.*

POenitentia non est verum Sacramentum, nisì idem sit cum Baptismo. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. Act. 2. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque*

*ve-*

*vestrûm, on nomine JEsu in remissionem peccatorum.* CONTRA. Hìc agitur de adultis non baptizatis, utì contextus probat, in quibus non negamus pœnitentiam requiri antè, & cum Baptismo: nos verò agimus de Pœnitentia, quâ post Baptismum peccata remittuntur; de qua Petrus Act. 8. 22. ad Simonem Magum baptizatum loquitur: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.*

*Corollarium*

QUàm perspicuum est *scriptum esse* Pœnitentiam esse verum Sacramentum: *nullibi* verò *scriptum esse* non esse Sacramentum?

## *CONTROVERSIA XLII.*

## De

## CONFESSIONE.

*Catho-*

COnfessio omnium peccatorū mortalium jure divino necessaria est iis, qui post Baptismum in peccata labuntur. *Verùm*
UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. Matth. 16. 19. *Tibi dabo claves regni Cælorum: & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatam & in Cælis: & quodcunqut solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Matth 18. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* Joan. 20. 23. *Quorum remiseritis peccata, romittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* In his locis verè à Christo datur potestas, non prædicandi,

& pænitentibus remiſſionem, aut impœnitentibus damnationem annuntiandi, ſed verè ex auctoritate abſolvendi, aut ligandi, remittendi, aut retinendi peccata. Hæc autem poteſtas eſt judiciaria, & ſine cognitione cauſæ exerceri non poteſt: quare neceſſaria eſt peccatorum Confeſſio, ut Sacerdos tanquam judex de iis, poſſit cognoſcere, & ſententiam ferre. Sic Textus hos exponunt Chryſ. Naz. Ambr. Hier. Aug. Innoc. Greg. apud Bell. hìc lib 3. c. 2.

II. Act. 19. 18. *Multi credentium* baptizatorum *veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos*. Hunc locum de vera peccatorum Confeſſione accipiunt Doctoros apud Corn. à Lap. hìc.

III. Jac. 5. 16. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſaluemini.* Hunc de confeſſione explicat Beda, Bern. Hugo. Bonav. aliìque apud Cornel, à Lap. hìc

IV. 1. Joan. 1. 9. *confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Hìc intelligi ſpecialem Confeſſionem gravium peccatorum docent ex Patribus tam Bell. l. 1. de Pœnit. cap. 13. quàm Cornel. à Lap. hìc.

*Acatholica Doctrina.*

CONfeſſio ſecreta, & ſpecialis peccatorum, quæ ſecunda pars eſt Pœnitentiæ, non eſt à DEO præcepta: unde nec quiſquam ad eam cogi poteſt, ſed

eſt

est libera, ut ea quis enumeret, quæ voluerit. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

{ NULLIBI. }

Neque licet hic argumentari à Christi Exemplo, qui passim sine Confessione peccata remisit: nam ipse ùt auctor Sacramentorum, non dependebat à Sacramento, sed ùt DEUS peccata simpliciter donavit; Sacerdotes autem ùt Ministri dependent à Sacramento.

*Corollarium per se.*

## *CONTROVERSIA XLIII.*
## De
## SATISFACTIONE.

*Catholica Doctrina.*

POst remissam culpam sæpè remanet reatus pœnæ tempo-

ralis,

ralis, in qnam pœua Gehennæ æterna mortalibus pecatis debita, est mutata. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

℟. I. 2. Reg. 12. 13. Dicenti David: *Peccavi Domino*, dixit Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum* hoc, *filius, qui natus est tibi, morte morietur*. 2. Reg. 24. 12. David ob numeratum Populum pœnitentiam egerat, & tamen post remissam culpam datur optio, ut eligat in pœnam peccati, vel bellum, vel famem, vel pestem. Et his Davidem revera ob peccata prætetita, non ad futura cavenda, punitum fuisse ostendit. tum ipse David,

qui

qui conatus eſt utramque pœnam, pœnalibus operibus aut avertere, aut mittigare, tum S. Grẹgor l. 9. Mor. c. 27 apud Bell. hìc l. 4. c. 2.

II. Plura loca adduci poſſunt Num 14. ubi populo remiſsâ culpâ, omnes tamen mortui in pœnam in deſerto. Num. 20. ubi Moyſes, & Aaron eadem pœnâ mulctantur &c.

*Acatholica Doctrina.*

REmiſsâ culpâ, nullas à Juſtis pœnas ob præterita delicta DEUS exigit, ſed tantùm paternè caſtigat ad cavenda futura. *Verùm*

UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Ezech. 33. 22. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate*

*pietate sua.* Ergo nullas post conversionem DEUS pœnas exigit. CONTRA. Propheta loquitur de pœna æterna, quam post conversionem non imponet DEUS. Vide Bell. hìc l. 4. c. 11.

II. Joan. 8. 14. Adulteræ Christus post remssam culpam non aliam pœnã imponit, quàm: *Vade, & jam ampliùs noli peccare.* COMTRA. Potuít Christus, ùt DEUS, ob magniturdinem contritionis, omnem pænam cum culpa dimisisse: sed indè non licet argumentari ad Sacerdotes, qui tanquam Ministri dependent à Sacramento.

*Corollarium.*

AN non *scriptum est*, post culpam remissam, remanere pœnam temporalem, & contrarium *non est scriptum.* *Con-*

## CONTROVERSIA XLIV. De OPERIBUS SATISFACTORIIS.

### *Catholica Doctrina.*

POenæ temporales alterius vitæ remitti possunt Jejuniis, precibus, eleemosynis, aliisque bonis, & laboriosis operibus hujus vitæ, sive spontè assumptis, sive à Sacerdote injunctis. *Sed* UBI SCRIPTUM EST?

℞. I. Dan. 4. 24. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Tob. 4. 11. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Et huc pertinent omnia opera misericordiæ.

II. Psal. 49. 15. *Invoca me in*

*die*

*die tribulationis, eruam te.* Et pro oratione est exemplum Davidis, qui hunc in finem præter Psal. 50. plures alios scripsit.

III. 2. Reg 12 16. *Jejunavit Dávid jejuniô.* Joel 2. 15. *Sanctificate Jejunium Ninivitarum.* Et huc spectant aliæ afflictiones corporis, cilicia, flagella &c.

IV. Job. 42. 6. *Ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Hæc sponte elegit Jobus.

V. Matth. 18. 18. *Quæcunque alligaveritis, erunt ligata.* Ex his concludit Conc. Trid. Sess. 14. Can. 15 Sicut Sacerdotes potestatem hábent à culpa pænitentes absolvendi; ita etiam

ad certa pœnitentiæ opera alligandi, habere à DEO potestatem.

VI. 2. Reg. 12. David jejuniis, & precibus non potuit satisfacere pro morte filii, quæ erat pœna temporalis hujus vitæ, DEUS enim aliter statuerat, Vide de omnibus his Bell. hìc lib. 4. cap. 3.4.5.6. & 9. ubi reperies SS. PP.

*Acatholica Doctrina.*

POena tēporalis peccatorum, nullis operibus redimi potest: ait Calvinus. Lutherus verò admittit posse voluntariis pœnis, DEI pœnam mitigari, aut averti, non tamen per modum satisfactionis; & Ecclesiam, ùt Matrem posse filios suos iisdem impositis castigare, sed non pertinere

nere ad clavium poteſtatem. *Sed*
UBI SCRIPTUM EST?

{ NULLIBI }

*Corollarium per ſe.*

## *CONTROVERSIA XLV.*
De
# INDULGENTIIS.
*Catholica Doctrina*

INdulgentiis à Pontifice, vel alio Eccleſiæ Prælato conceſſis, per applicationem Theſauri Eccleſiaſtici, ſcilicet infiniti, & inexhauſti cumuli meritorũ Chriſti, & aliorum Sanctorum in Eccleſia ad peccatoris ſolatium relicti pro pœna temporali peccatiś actualibus jam remiſſis debita ſatisfieri poteſt. *Verùm*
UBI SCRIPTUM EST?
℞. Matth. 16. 19. *Tibi dabo*

*claves Regni Cœlorum, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Joan. 21. 17. *Pasce oves meas.* His verbis, utì ostensum Controv. 8. data est Petro, & Successoribus summa potestas in Ecclesiam, ejusque membra, non tantùm ligandi, sed & solvendi, non solùm à culpa, sed etiam à pœna, vel imponendo opera satisfactoria, ùt dictum est Controv: proximâ de aliis Sacerdotibus ex illo Matth. 18. vel aperiendo Thesaurum meritorum Christi, & Fidelibus potestatem faciendo inde sumendi, ut DEO pro pœna debita satisfaciant. Ità hucusque sensit Ecclesia universa, utì ex Extravagante *Unigenitus* de Pœnis, & Remiss. patet. Nec

usus

ûſus eſt priſcis ignotus: nam à S. Greg. cæpiſſe Indulgentias Stationum ait Toletus; & in Concilio Nicæno Anno CCC-XXV. datas Indulgentias cenſent non pauci apud Suarez. Imò S. Thomas, & multi alii judicant S. Paulum, inceſtuoſum illum Corinthium, quem 1. Cor. 5. excommuuicatione ligârat, & Sathanæ in pœnam temporalem tradiderat, non ſolùm à vinculo ſolviſſe, ſed etiam per Indulgentias conceſſas â pœna liberâſſe 2. Co. 2. 10. ubi ait: *Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti*, ſcilicet: coram Chriſto, vel vices Chriſti gerens, ùt plures explicant apud Corn. à Láp.

Ex

Ex eodem oſtenditur poſſe Eccleſiam Indulgentias concedere, quas vivi poſſint applicare animabus in Purgatorio exiſtentibus, ſicut alia opera, de quibus ſuprà.

*Acatholica Doctrina.*

ECcleſia nec pro vivis, nec pro defunctis poteſt dare Indulgentias. *Sed*

UBI SCRIPTUM EST?

NULLIBI.

*Corollarium per ſe*

COROLLARIUM.

COROLLARIORUM.

QUiſque prudens, diſcretus, ſuæque ſalutis amans ſibi conſulat, ubi ſingula in hoc Libello ſecundùm admonitionem initiô poſitam legerit, & ponderârit.

IN-

# INDEX
## CONTROVERSIARUM

Controversia præliminaris de unitate Religionis.



29

# INDEX



# FINIS.

Frauenlust